PETRONII IMITATIO SERMONIS PLEBEI QUA NECESSITATE CONIUNGATUR CUM GRAMMATICA ILLIUS AETATIS DOCTRINA

PETRONII IMITATIO SERMONIS PLEBEI QUA NECESSITATE CONIUNGATUR CUM GRAMMATICA ILLIUS AETATIS DOCTRINA

QUAESIVIT

GUILELMUS SUESS

DORPATI 1927

Acta et Commentationes Universitatis Tartuensis (Dorpatensis) B XIII. 1

C. Mattiesen, Dorpati.

Argumentum

I

Quae apud posteros de vitiis orationis praecipi solent, ea multis locis ex sophistarum, Platonis, Aristotelis doctrina repetuntur. Disputatur inprimis de discrimine inter barbarismum et soloecismum interponendo, de ratione et via disserendi, qua sollemni quodam ordine a litteris syllabisque proceditur ad partes orationis ita, ut agmen claudant orationis virtutes et vitia, de famosa denique illa per adiectionem, detractionem, immutationem, transmutationem quadripartitione multis et variis provinciis orationis subiecta.

II

Lucilius singulari studio versatus est in eis rebus, quae pro vitiis dicendi aut pro testimoniis orationis parum urbanae haberi solent. Triplici autem ratione illa complectitur, aut ita, ut suum ipsius genus dicendi variet et locuplet omni genere fontium exhausto, aut ita, ut grammatici assumpta persona arte et ratione doceat, quid sectandum, quid fugiendum sit, aut ita, ut saturae censura includat hominum orationem, verba, pronuntiationem. In singulis agitur *A* de rusticorum pronuntiatione, dialectorum italicarum usu, peculiari quorundam ordinum sermone, *B* de graecarum vocum usu, *C* de dictis Granianis, *D* de libri noni doctrina.

III

Rhetores et grammatici Romani quid de vitiis dicendi docuerint, exponitur. Restituitur e coniectura compendioso exemplo illa quae Petronii temporibus usu triviali accepta atque probata fuit de barbarismo et soloecismo ars.

IV

Plebei sermonis imitatio in libertinorum sermonibus a Petronio expressa accurata comparatione revocatur ad artem grammaticam Romanorum Quintiliani potissumum institutione pro exemplo sumpta, ita ut appareat, quantum in singulis pravae dictionis exemplis arti scholasticae debeatur. Petronius saepius versatur in eis rebus, quae in scholarum disciplina ut vitiose enuntiatae obelisco notabantur, sed plurimo discrimine iudicii vere grammatici et elegantiae superat artis ruditatem exemplorum copia florentem, sed eandem infelicissimam in rerum definitione et dispositione et in tota ratione disputandi. Barbarismum et soloecismum ab artium scriptoribus et ad morum provinciam esse translatos testimoniis collectis demonstratur. Quanti ponderis fuerit haec doctrina in opere Petronii, qui in sermonis vitiis ad mores loquentium variandis singularem operam ponit, illustratur.

V

Plebei sermonis imitatio Petroniana tandem repetitur ex aetatis illius natura et litteris Menippearum Varronis et saturarum Lucilii singulariter studiosis. Quid de *schedio Lucilianae humilitatis* apud Petronium commemorato iudicandum sit, ita quaeritur, ut appareat Persium tangi Agamemnonis rhetoris versibus. Necessitate quadam saeculi revocatur Petronius ad Lucilii auctoritatem in omnibus fontibus dictionis exhauriendis et in varietate hominum sermone variato tanquam speculo comprehendenda.

Cum nuper hoc loco *(Acta et Commentationes B IX. 4) de eo quem dicunt inesse Trimalchionis cenae sermone vulgari* dissereremus ita, ut vulgaria illa semina orationis colligeremus collectaque ex recessu tanquam atque umbra linguae latinae litterarumque Romanarum interpretaremur, necessitate quadam sub finem disputationis perducti sumus eo, ut quaereremus, nonne Petronius in delineanda illa imagine plebeiae grammaticae consilii et doctrinae plena nescio quibus subsidiis litterisque doctorum grammaticorum esset usus. Qua de re quid ipsi sentiremus, paucis tunc verbis ita descripsimus, ut iudicaremus *neque nobis posse persuaderi Petronium temere tacito quodam sensu sine ullo ordine rationis et consilii potuisse illam imaginem orationis parum urbanae perficere, neque artis grammaticae apud scriptores latinos rationem eam esse, ut ex illorum fumo scholastico ipso lucida imago in cena expressa putari posset prodiisse.* Immo videri scriptorem et hic *miscuisse innata acumina ingenii cum usu eruditionis et consiliis artis ita, ut omnia nescio quam simulationem temeritatis haberent.* Nunc autem multa esse videntur, quare filum quaerendi hoc modo interceptum denuo excipiamus atque ordine deducamus. Nam siquidem apud historicos et poetas sententiarum et colorum semina atque causae repeti solent ex institutione oratoria ita, ut ne abusus quidem rei tollere possit usum, nonne iure ac merito debet quaeri, quantum doctrinae de erroribus dicendi temporibus Petronii fuerit ita in promptu, ut imitationem mimicam posset allicere? Versamur enim hic in provincia neque a grammaticis neque a rhetoribus derelicta aut neglecta. Haec ubi consideraverimus, facilius apparebit, quantum Petronius hac in re doctrinae illius aetatis debeat, quibus rebus rationem et disciplinam doctorum virorum aut parum exhaurire aut peculiari acumine superare videatur, quae denique ratio intercedat inter usum scholae et ipsius consilia. Omnia autem haec ne eis quidem locis sine ratione et fructu tractata esse dicemus, ubi nil necessitatis intercedere inter

illa umbracula doctrinae et satirographum negotio quaerendi absoluto fatebimur. Felicius autem et confidentius ut vestigia ponere liceat in provincia grammaticae Romanae Neronis fere aetate scholarum consuetudine probatae atque acceptae, inprimis Barwickii opera[1]) factum est. Sed nos nostri propositi natura ducti multo diligentius quaeremus, quid quomodo de vitiis sermonis doctum sit, quam illud, quem locum haec vel illa res in artium consuetudine teneat, neque ultra ipsam necessitatem aut de perplexa et varietate et similitudine fontium aut de auctorum et stirpe et memoria agemus.

I

Sophistarum Atticorum igitur — nam ab his iure et merito initium capiemus — factum est opera, ut in orationis provincia vera a falsis seiungerentur, ut peccandi semina atque causae patefierent patefactaque normae perfectaeque speciei opponerentur. Scimus incunabula huius artis plurimum habuisse apud homines illius aetatis et irrisionem et offensionem, si quidem Prodici in synonymis collocatam operam distinguendis perstringit Plato in Protagora (337 sqq.), Protagorae autem *ὀρθοέπεια* in nescio quibus modis verbi patefaciendis non potuit non Iliadis initium vituperare (Arist. poet. 19, 1456 b 15). Lepidissime Strepsiadis exemplo Aristophanes in Nubibus (658 sqq.) probat, quanta dubitatione de analogiae et anomaliae auctoritate omnium animi fuerint exagitati, cum substantiva ex litterarum finalium natura classibus et generibus describerentur. Praeter omnem rationem videbatur dici *ἡ κάρδοπος*, appellari *δεῦρο, δεῦρ', Ἀμυνία*, eadem voce gallus et gallina significari *(ἀλεκτρυών)*. Quam diversa ratione possit de suavitate vocum iudicari, docet Licymnii *εὐέπεια* ita, ut iucunditatem itemque foeditatem revocet aut ad sonos ipsos aut ad vim verbo expressam. Utroque loco ingens copia quaerendi, commendandi, vetandi patefacta est, cum posset de sonorum vel litterarum duris aut mollibus iuncturis non minus

1) Karl Barwick, Remmius Palaemon und die römische ars grammatica. Philologus, Suppl. Bd. XV, 2. Leipzig 1922. Quod iam in illa nostra disputatione, in qua afferenda compendio utemur *de s. v.*, ab legentium aequitate petivimus, id nunc repetimus atque redintegramus, ut nos meminisse velint saepissime litterarum copiis hoc loco parum integris et plenis fuisse impeditos in proposito nostro omnibus e partibus recte absolvendo.

quam de verborum parum honestorum auctoritate disputari. Gorgias, quaerens, quantum fidei et veritatis insit verbis ipsis, negat ullo modo orationem ut aurium tantum usui accomodatam aptam esse, qua reddi possit si quid rerum aut est aut sensibus et cogitatione percipi potest. Quae de Isocratis porro arte traduntur (O. A. Baiter-Sauppe II 224 sqq. fr. 12[2]), nam ipse doctrinam intra umbracula scholae tenuisse videtur, ne divulgata atque publici iuris facta rhetoribus collegis posset esse usui, ea plurima similitudine accedunt ad doctrinam Anaximeneam (v. inprimis cap. 25)[3]). Omnia autem, quae aut de copia verborum aut de ordine sententiae praecipiuntur, redeunt eo, ut perspicuitati prospiciatur. Cavetur enim, ne articulorum, pronominum, coniunctionum usu aut nimis copioso aut parum lucido obscuretur sermo, ne haereamus in sententiis apte absolvendis, ne, quae sequuntur, minus sint accomodata eis verbis, quae antecedunt (veluti Is. *μὴ πρὶν ἀποτελέσαι τὸ πρῶτον ἐπ' ἄλλο ἰέναι, εἶτα ἐπὶ τὸ πρῶτον ἐπανιέναι ἀπὸ τοῦ τέλους*). Fugienda sunt omnia ambigua (*ἀμφίβολα*), plurima cautio, plurima continentia adhibenda est in metaphoris itemque in vocibus factis. Quo quid est magis aut proprium aut notum, eo acceptius, eo probatius est.

Aristoteles autem, etsi multis locis ab his praeceptis pendere videtur, tamen totam hanc partem, quae est de orationis et virtute et vitiis, subtilius exsecutus est, neque forte factum est illud, quod apud illum primum invenias voces ipsas barbarismi, soloecismi, virtutis orationis. Totam hanc materiam, quam eandem revocare licet ad rhetoricam et poëticam non minus quam ad grammaticam, duobus locis tangit philosophus, altero (in arte poëtica, cap. XX—XXII) ita, ut artis cuiusdam ordinem sequatur, altero eoque temporis ordine posteriore loco (in tertio de rhetorica libro, cap. I—XII) ita, ut tota disputatio sine vera constantia propositi ex partibus variis et diversis commixta atque conflata iure et merito legentium bilem movere possit. Quae enim hic Aristoteles profert, aut ut suppleat ea, quae in

2) De fide et auctoritate huius doctrinae Isocrateae Wendland, Hermes XXXIX 522[5]. Cf. *δεῖ δὲ τοὺς συνδέσμους τοὺς αὐτοὺς μὴ συνεγγὺς τιθέναι καὶ τὸν ἑπόμενον λόγον τῷ ἡγουμένῳ εὐθὺς ἀνταποδιδόναι*, et Anax. 62, 6 sqq. Sp.-H., *ὀνόματι δὲ χρῆσθαι ἢ μεταφορᾷ μὴ σκληρᾷ ἢ τῷ καλλίστῳ ἢ τῷ ἥκιστα πεποιημένῳ ἢ τῷ γνωριμωτάτῳ*, et Anax. 61, 23 Sp.-H. *ὀνόμαζε τοῖς οἰκείοις ὀνόμασιν … διαφεύγων τὸ ἀμφίβολον.*

3) Wendland, Hermes l. l. = Anaximenes v. Lamps. 44.

arte poëtica exsecutus erat — ad illa capita enim saepius revocamur verbis scriptoris (rhet. III, 1404 a 39; 1404 b 7; 1404 b 28; 1405 a 6) —, aut ut diligentius exponat, quo discrimine oratio pedestris a poeseos usu distet — nam hac in re Isocrates usu potius atque iudicio, quam via et ratione veterum sophistarum ambages et splendores superasse videtur —, aut ut singula quaedam delibet copiosius vel praeter artis necessitatem tractanda ideo, quia acumina philosophi poterant movere, omnia ea nullo modo cum ipsis elementis artis, de quibus partes quaedam hic iterum modo leviter tanguntur modo copiose exponuntur haud sine molesta eiusdem rei in eodem libro repetitione et divulsione, ita coniunguntur, ut sententiae ipsae et verba in unum ordinem coeant. Quae nos quondam de hac parte rhetoricae disputavimus [4]), ea in plurimis vix nunc habemus, quod corrigamus aut commutemus. Repetere illa non est in animo. Sed apparet aptius ab illa in arte poëtica disputatione initia disserendi capi.

Illic autem Aristoteles totam materiam (*τῆς λέξεως ἁπάσης μέρη*, apparet hanc vocem latius ultra eas quas nos cum posterorum usu intellegimus partes orationes patere) ita disponit, ut I) primum tractet 1) e l e m e n t a v o c i s (*στοιχεῖα*, quae eadem nullo hoc certe loco patefacto discrimine ad singulos orationis sonos et ad litteras pertinent) et 2) s y l l a b a s [5]). Sequuntur II) eae quas nos dicimus p a r t e s o r a t i o n i s: 1) *σύνδεσμοι* (vox ut apud Isocratem et Anaximenem latius ultra eas, quas nos dicimus coniunctiones, hic et in rhetorica Aristotelis patet, in singulis parum perspicua), 2) *ἄρθρα* (Anaximenes 62, 22 Sp.-H. *τὸ προσέχειν τοῖς ἄρθροις, ὅπως ἐν τῷ δέοντι προστιθῆται*, illustrat hoc exemplo: *οὗτος ὁ ἄνθρωπος τοῦτον τὸν ἄνθρωπον ἀδικεῖ*, Aristotelis sententia singulari difficultate difficilis, cf. quae

---

4) Ethos, Studien zur älteren griechischen Rhetorik 173 sqq.

5) Sunt in his partibus quae eadem fere iam apud Platonem inveniantur (Vahlen, Beiträge zu Aristoteles Poetik 105 sqq. = Wiener Sitz.-Ber. phil.-hist. Kl. LVI 225 sqq. Bywater in editione poëticae passim). Nemo dubitabit, quin multa ex his rebus sophistarum studiis debeantur. Vahlen iam contulit Hipp. mai. 285 C ἃ σὺ (Hippias) *ἀκριβέστατ᾽ ἐπίστασαι ἀνθρώπων διαιρεῖν, περί τε γραμμάτων δυνάμεως καὶ συλλαβῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν*. Altero loco (Hipp. min. 368 D) apparet Hippiam in his studiis grammaticis eisdemque metricis verum usum a falso seiunxisse (*περὶ ῥυθμῶν καὶ ἁρμονιῶν καὶ γραμμάτων ὀρθότητος*), quod etsi ipsum minime mirum est, tamen propter propositi nostri naturam disertis verbis commemorasse iuvat. Cf. et v. Wilamowitz, Platon I, 291, 2.

Bywater p. 272 editionis et Vahlen, Beitr. 111 = Wiener Sitz.-Ber. phil.-hist. Kl. LXVI 234 de hoc loco disputaverunt), 3) nomina, 4) verba. Adiungitur III) πτῶσις (nominum casus et numeri, verbi modi, similia). Agmen claudit IV) λόγος ipse. Eo, quod sequitur, capite nomina — sed spectari videntur non minus verba — in classes distribuuntur (*ὀνόματος εἴδη*). Sunt enim aut simplicia aut composita vel, ut hoc discrimen neglegamus, aut propria (*κύρια*, dominantia) aut glossae aut metaphorae aut verba propria ornandi causa propriis commutata (*κόσμος*, cf. Cic. de orat. III 167) aut facta aut dilatata aut correpta aut permutata. Glossae (*γλῶτται*) sunt voces non omnium usu probatae atque acceptae, cum aut ex peregrina lingua originem deducant aut ad unam dialectum graecam redeant aut oblivione ex consuetudine omnium remotae sint. Eodem capite (21) comprehenduntur tria genera nominum ad litterarum finalium varietatem descripta. Tertium caput (XXII) tota natura distat ab eis, quae antecesserunt. Nunc enim subsidiis ipsis orationis enumeratis atque supellectile oratoria et poëtica patefacta exponendum est, quomodo illis uti debeamus, nunc ad praecepta recte eloquendi deducimur[6]). Quare nos hic tantum huic dispositioni ipsi tribuamus, postea apparebit.

Virtus orationis in perspicuitate ponitur, ita tamen, ut absit humilitas. Humilitas autem evitatur ita, ut utamur omnibus illis formis, quae nescio quomodo a proprietate recedunt. Natura enim, ut sumus novarum rerum cupidi, delectamur omnibus eis rebus, quae sunt praeter cotidianam consuetudinem. Nihilominus hoc in usu sunt certi fines, latius in poësi, angustius in oratione pedestri patentes, ultra quos qui progedietur, a vero aberrabit. Veluti omnia qui glossis exprimit, meris glossis qui orationem fingit, nomine barbarismi peccat. Videmus hanc vocem ex etymi ratione hic angustius quam apud posteros dici in eo, qui — memineris definitionis glottae supra allatae — longissime ab illo ἑλληνίζειν distat, quod alio loco (rhet. III, c. 5) ut normam dicendi affert scriptor.

Praestat autem hoc caput quintum in Aristotelis *περὶ λέξεως* dissertatione (rhet. III) omnibus fere ceteris simplicitate et perspicuitate. Quinque partibus hic dicitur rectus usus graecae linguae contineri, quae ponuntur 1) in coniunctionum vicibus apte ita tempe-

6) Hoc iam initio ipso apparet: *λέξεως δὲ ἀρετὴ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι.*

randis, ut apodosis protasin sine ulla perturbatione excipiat, 2) in usu vocum propriarum *(ἰδίων ὀνομάτων)*, 3) in effugiendis verbis ambiguis talibus, qualia consulto adit prophetarum hariolatio, 4) in nominum generibus masculino feminino neutro diligenter distinguendis, 5) in numeris et singulari et plurali observandis. Denuo tunc monetur, ne aut coniunctionum multitudine aut verborum ordine in ceteris parum perspicuo efficiamus, ut aegre, quae scripserimus, quomodo interpungendi ratione dirimantur et intellegantur, appareat. Additur singularis quaedam cautio, qua vetamur duabus vocibus adiungere, quae alteri tantum accomodata sunt: *ἔτι τάδε ποιεῖ σολοικίζειν τὸ μὴ ἀποδιδόναι, ἐὰν μὴ ἐπιζευγνύῃς ἀμφοῖν ὃ ἁρμόττει, οἷον ἢ ψόφον ἢ χρῶμα· τὸ μὲν ἰδὼν οὐ κοινόν, τὸ δ' αἰσθόμενος κοινόν.* Soloecismi vim multo latius ultra hoc zeugmatis exemplum patere atque ad alia quaedam pertinere quae ab illa graecitate abhorrent Aristoteles velle videtur, desiderantur autem accurati illi fines, quibus posteri vocem circumscripserunt. In hanc capitis quinti disputationem cum incideret, triumphavit quondam gaudio Oncken[7]). Quis enim inter omnes scriptores graecos est, qui gravius et saepius quam Aristoteles ipse contra omnia illa praecepta peccare videatur? Ex summo hoc inter rationem et usum discrimine copiosius illustrato progreditur O. ad Scaligeri illud de scriptis Aristotelis commentum denuo confirmandum atque novis subsidiis exornandum. Nos quidem nunc scimus huic capiti vix quicquam inesse, quod non possit aut ad Anaximenem aut ad Isocratem aut ad utrumque revocari. Neque iam quisquam his diebus singularem orationem scriptorum Aristoteleorum metietur ex rhetoricae de optimo genere dicendi praeceptis.

Non res ipsa, sed usus earum vocum, in quibus versamur, iubet nos hic paucis et illa tangere, quae Aristoteles in soph. el. profert. In sophistarum artificiis recensendis commemoratur ab Aristotele et illud, quo adversarium ita ad incitas redigo, ut ipse

---

7) Die Staatslehre des Aristoteles I, 50 sqq. „Wenn hier nicht ein schreiender Widerspruch zwischen der Theorie und der Praxis desselben Mannes vorliegt, dann gibt es überhaupt keinen.“ „Die eigentümliche, mit den Regeln der aristotelischen Rhetorik so wenig vereinbare Gestaltung unseres Textes erklärt sich vollkommen, wenn wir uns vergegenwärtigen, erstens die Natur eines freien, peripatetischen Lehrvortrags und zweitens die Natur von Nachschriften, die in grösster Eile von Zuhörern aufgezeichnet waren.“

fateatur se soloecismum commisisse. Barbarismi vis hoc loco haud procul abesse videtur a soloecismi sententia (*τέταρτον τὸ σολοικίζειν ποιεῖν, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ ποιῆσαι τῇ λέξει βαρβαρίζειν ἐκ τοῦ λόγου τὸν ἀποκρινάμενον* 165 b 20). Exempla afferuntur Protagorea: *ὁ μὲν γὰρ λέγων οὐλομένην* (in initio Iliadis) *σολοικίζει μὲν κατ' ἐκεῖνον* (si quidem *μῆνις* est generis masculini), *οὐ φαίνεται δὲ τοῖς ἄλλοις. ὁ δὲ οὐλόμενον, φαίνεται μὲν ἀλλ' οὐ σολοικίζει* (173 b 20). Sequuntur ludi ex ambiguitate pronominis *τοῦτο* instituti, quos hic non persequimur. Inter soloecismorum fallacias enumerantur denique (182 a 7 sqq) ambigua ex accusativi cum infinitivo usu in masculinis et feminis petita. Dicis e. gr. esse aliquid lapidem, est igitur „lapidem", si quidem vox ipsa neglecta illa dicendi structura repetitur. In neutro genere hoc non contingit. *Εἰ οὖν ἔροιτό τις, ἆρ' ὃν ἀληθῶς λέγεις, ἔστι τοῦτον, οὐκ ἂν δοκοίη ἑλληνίζειν.* Vides iam hoc loco hanc vocem soloecismo sophistarum fallaciis consilio ficto opponi. *Ἆρ' ἐπίστασαι τοῦτο; τοῦτο δ' ἐστὶ λίθος. ἐπίστασαι ἄρα λίθος.* Vides — nam cetera exempla mitto — soloecismum poni in falso casus vel generis usu. Apparet quam fuerint haec studia orationis aut rectae aut falsae diiudicandae usu et ratione virorum doctorum accepta, si quidem hac ratione poterat ludi. Parum recte autem iudicare videntur Schepss (de soloecismo, diss. Strassburg 1875, 18) et Kroll (Studien zum Verständnis der röm. Lit. 105, 44) duas has voces initio in unam eandemque vim abire. Nam etsi est apud Aristotelem unus certe ille locus, quo hoc probari possit, tamen aliquid rationis, omnia exempla usus si persequimur, ponitur in eo, quod barbarismus pertinet ad singularum glossarum usum, soloecismus ad verba falso iuncta, genera, casus. Hoc autem plane cum posterorum ratione convenit. Ad vitia in genere nominum posita videtur iam Protagoras (A 28 Diels) soloecismi vim et vocem traxisse, etsi pro certo hoc affirmare nolim.

Recte Stroux[8]) exponit Aristotelem rhetorem u n a m v i r t u t e m d i c e n d i, non plures statuere, quam eodem fere modo quo in poëtica p e r s p i c u i t a t i s nomine comprehendit atque ex ethicarum virtutum analogia intellegit. Duo sunt quae addi velim, primum quidem: praeceptum ipsum perspicuitatis vix minus apud eos valere, quos de eisdem rebus supra vidimus disserentes ante Aristotelem, tum illud: vix nimium tribuendum esse morositati

8) De Theophrasti virtutibus dicendi 30.

illi, qua Aristoteles ceteros quosdam carpit, qui sine ulla necessitate alia insuper de elocutione praeceperint ita, ut eam vellent et esse iucundam et magnificam (Rhet. III 1414 a 19). Eodem enim iure liberalitatem, continentiam et siquid aliud exstet inter virtutes morum [9]) et in elocutione postulari posse. Omnia haec enim facile contineri sua ipsius definitione putat. Haec autem revocanda sunt ad ancipitem illam naturam operis [10]), quam collocamus in eo, quod Aristoteles ipse multis locis a suo proposito recte absolvendo nescio quomodo abhorrere videtur, quod saepius singula artium praecepta pro vanis ludibriis habet atque simplicissima quadam lege absolvi posse confidit. Sunt, quae silentio praetereat, sunt, quae invito animo tandem suscipiat exsequenda, sunt quae praeter omnem artis rhetoricae necessitatem propriis consiliis ductus alienis titulis memoria atque consuetudine scholae acceptis subiungat. In initio totius operis primum quidem omnia, quae praeter argumentationem, quam enthymemate contineri putat, in artibus proferri solent, nullius pretii esse dicit. Sed in hoc proposito ab omni rhetoricae consuetudine alieno non magis sibi constat persequendo, quam in similibus sententiis. In dispositione (III 13) primum quidem ait nil desiderari nisi propositionem et argumentationem. Aegre animum accomodat ad singula illa, quae de prooemii officiis in artibus edocentur, ut audientium animi sint benevoli, attenti, dociles; ea omnia fere inutilia aut ridicula esse putat. Similiter in narratione qui postulaverant brevitatem irridentur (1416 b 30). Sicuti pistori quaerenti, utrum panem durum an mollem coqueret, responsum est „Quidni bonum?“, ita et hac in re nil aliud praecipiendum est nisi ut res apte instituatur (cf. Plat. Phaedr. 272 A). Similiter et eo loco, de quo verba fecimus, Aristoteles una norma, qua omnia comprehendi atque absolvi putat, contentus singula quaedam, quae in artibus diligentius vix sine aliqua ratione praecepta erant, condemnat [11]). Quam feliciter

9) Nihilominus mihi certe parum liquet, utrum iam illi rhetores, a quibus Aristoteles simplicem suam et unam virtutem dicendi defendere conatur, virtutum nomine hac in re sint usi necne. Aristotelis certe verbis illud non confirmari potest. Solet autem haud sine aliqua dubitatione Theodectes intellegi, quem Quintilianus (IV, 2, 63) dicit voluisse expositionem (narrationem, elocutio hic non spectatur) esse magnificam et iucundam. Cf. Stroux, l. l. 43 sqq., qui quae ratio et affinitatis et discriminis intercedat inter praecepta elocutionis et narrationis copiose illustrat.

10) Rem copiosius tractavi Ethos 125 sqq.

11) Neminem tam imprudentem esse crediderim aut tam iniquum, ut,

Aristoteles versatus sit in eo, quod omnia praecepta uni illi normae subiungere conatus est, quatenus omnino ei contigerit, ut varietatem rerum et consiliorum ad illum finem revocaret, hic

---

cum de rhetoricae Aristoteleae consilio, dispositione, ratione quid sentiat proferat, omnia se omnibus probare posse confidat. Sed sunt et hac in re, quae vix sine plurimo detrimento rei ipsius neglegantur. Veluti qui illam indolem penitus operi Aristoteleo infixam, quam supra paucis lineis adumbravimus, non perspiciet, vix recte de origine operis diiudicabit. De dispositione porro huius operis plurima difficultate impedita qui potest ille iudicare, qui ignorare videtur hic multo felicius quam in ceteris operibus quaestionem ex ipsa memoria artis rhetoricae uno certe exemplo — artem Anaximenis dico — collato repeti posse? Inaudita enim illa artificia partium praeter omnem necessitatem describendarum atque hic illic subiungendarum non apud Aristotelem solum inveniuntur, sed iam apud Anaximenem, qui miris ambagibus dispositionem perturbat. Cum enim parum curiose legenti videatur simplicissima ratione tres partes describere: inventionem (1—18), elocutionem (19—28), dispositionem (29—37), re vera hunc in modum cursum suum detorquet: Incipit a septem illis speciebus — pace dixerim Ciceronis (Top. 7, 30) — orationum, quarum v i m , u s u m , o r d i n e m tractare in animo habet. In singulis autem plane in modum Aristotelis ita versatur, ut c a p i t u l a f i n a l i a, quamvis sint omnium generum orationis communia, tamen deliberativo vel, ut ipsius rationem sequar, hortandi et dehortandi speciebus subiungat. Eadem de causa eidem parti adduntur p r o p o s i t a orationis talia qualia leges, pax, bellum, sacra, similia. Demonstrativo vel potius speciebus laudandi et vituperandi abutitur, ut doceat, quomodo res a u g e r i et m i n u i possint. Et haec fere de singularum specierum vi. In usu specierum tractando revocat ad capitula finalia et ad augendi minuendique artem. Iterum docemur de harum rerum usu et communi et singulis quibusdam speciebus ascripto. Sed haec in priore parte iam absoluta erant, restant *αἱ πίστεις* (argumentatio), quae eaedem et communes et generi iudiciali singulari vinculo adhaerentes, quare necessario hac in parte tractentur, nemo erit, qui sciat confirmare. Ad usum autem pertinere miramur et occupationes, ordinem sententiarum et verborum, copiam verborum, praecepta d e e l o c u t i o n e. Omnia haec dicuntur — haec enim ratio semper Aristoteli et Anaximeni praeter omnem necessitatem obversatur — omnium specierum esse communia. Quae sequitur pars ultimo loco, ea redit fere in d i s p o s i t i o n e m illam, quam artes illius temporis intellexerunt aliter ac posteri ita, ut p a r t e s i p s a s o r a t i o n i s hic comprehenderent. Hos labyrinthos dispositionis recte coniungemus cum illis in vetusta arte a Theodoro, Licymnio, aliis institutis artificiis disponendi (Ethos 146). Tenetur et Anaximenes vix minore quam Aristoteles studio t r a n s i t i o n u m et r e c a p i t u l a t i o n u m praeter omnem modum exaggerandarum. Haec duo gravissima saepius in rhetorica Aristotelis diudicanda video neglegi. Veluti Kantelhardt cum neque hoc neque illud ullo modo curet, vix habet quomodo probet rhetoricam Aristotelis ex duabus artibus natura, tempore, consilio distantibus esse commixtam et conflatam, quarum altera contineatur fere primo totius operis capite et libri II parte posteriore. Neutram partem scriptoris ipsius stilo ad plenam atque perfectam formam perductam fuisse, cum omnia haud sine vi et

non diiudicabimus. Quantopere enixus sit, ut errores et vitia dicendi deduceret ex illa lege, apparet. Theophrastus autem hic a pietate illa, qua magistrum in ceteris prosequi solet, recessit ita, ut nollet eam quae praeceptis inesse videbatur varietatem simulata specie unitatis occultare. Ad illius auctoritatem redeunt, si quidem memoriae veterum, quam Stroux bene l. l. enodavit, fidem adhibemus, illae quattuor virtutes dicendi 1) ὁ ἑλληνισμός = latinitas, 2) τὸ σαφές = perspicuitas, 3) τὸ πρέπον = decorum vel aptum, 4) ἡ κατασκευή = ornatus. His quinto loco accedere voluerunt Stoici τὴν συντομίαν = brevitatem[12]). A Stoicis autem Barwick disputatione optimae frugis plena multa repetit, quae apud Romanos scriptores artium in sententiis ipsis et in ratione disserendi plurimam vim habere videntur. Sed hoc unum miror Barwickium non multa ex his rebus ad Aristotelem revocasse. Non quo velim aut negare aut dissimulare aut minuere quicquid discriminis in vi singularum vocum atque in sententiis hic illic apparet. Sed in ratione atque ordine disputandi, cui iure ac merito Barwick multum tribuit, memoria Aristotelis facile demonstrari potest.

Scimus (Barwick 90 sqq.) Stoicos rhetoricam ita cum dialectica coniunxisse — nam singula in partibus describendis discrimina a nostro proposito aliena hic non curamus —, ut seiungerent ea, quae significantur *(τὰ σημαινόμενα)*, ab ipsis instrumentis et subsidiis significandi, quae provincia vocis continentur. Sed una cum copiis disserendi utroque loco et semina peccandi aperiuntur, quae illic in cogitatione, hic in elocutione posita esse apparet. Nos tenet altera haec pars, ὁ *(περὶ αὐτῆς) τῆς φωνῆς τόπος*. Hac tractantur, ut Diogenis Laertii verba reddamus (VII, 44), 1) ἡ ἐγγράμματος φωνή = vox litteris expressa, 2) τίνα τὰ τοῦ λόγου μέρη = partes orationis, 3) περὶ σολοικισμοῦ καὶ βαρβαρισμοῦ, 4) περὶ ποιημάτων, 5) περὶ ἀμφιβολιῶν,

---

imprudentia in unum redigerentur ab editore quodam. Non nego eum in singulis felicia quaedam fermenta cognitionis adiecisse, sed haeret nimis infixa in medullis ipsis operis illa perturbatio et difficultas sententiarum, verborum, dispositionis, quam ut simplicissima illa in duas partes divisio omnem dubitationem tollere possit (A. Kantelhardt, De Aristotelis rhetoricis, diss. Göttingen 1911).

12) De his rebus dignus est qui audiatur etiam Theodorus Herrle, cuius quaestiones rhetoricae ad elocutionem pertinentes (diss. Leipzig 1912) eodem fere tempore in lucem prodierunt quo Strouxii liber.

6) *περὶ ἐμμελοῦς φωνῆς καὶ περὶ μουσικῆς*, 7) *περὶ ὅρων κατά τινας καὶ διαιρέσεων καὶ λέξεων.* Res copiosius describitur eodem loco 55—62, nam fuerat cum ab aliis tum a Diogene Babylonio peculiaribus artibus tractata. Ad hunc enim, cuius nomen in hac disputatione sexies (ter 55, semel 56 itemque 57, 58) affertur, consensu omnium plurima ex his sententiis a Laertio commemoratis revocantur. Nunc videas quaeso, quantopere inde ab Aristotele[13]) Stoicis mediis tanquam interpositis usque ad artium illos scriptores Romanos, quorum copias Barwick illustravit, continua fere sit memoria primum quidem in ordine disputandi: I) Initium capitur a vocibus animalium et hominum, quantum valeat vox litteris comprehensa, demonstratur (*φωνὴ ἐγγράμματος* Diog. apud Laertium, *confusa vero aut animalium aut inanimalium est, quae litteris comprehendi non potest* Prob. IV, 47, 7, *καὶ γὰρ τῶν θηρίων εἰσὶν ἀδιαίρετοι φωναί, ὧν οὐδεμίαν λέγω στοιχεῖον* Ar. 1456 b 23). II) Sequuntur apud omnes *τὰ στοιχεῖα*, litterae (aut vocales aut semivocales aut mutae) et III) syllabae, quarum ratio inprimis ad metricam spectat (Ar. 1456 b 38 Prob. IV, 51, 15). Altera quadam parte tractantur partes orationis, ubi quantum discriminis in singulis pateat ad propositum nostrum non pertinet, hanc disputationem excipiunt ea, quae sunt de virtutibus et vitiis dicendi. Illustrantur quinque Stoicorum virtutes (59, Stroux 35, Herrle 29), de vitiis haec referuntur *ὁ δὲ βαρβαρισμὸς ἐκ τῶν κακιῶν λέξις ἐστὶ παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων Ἑλλήνων, σολοικισμὸς δέ ἐστι λόγος ἀκαταλλήλως συντεταγμένος.* Agmen claudunt illa de poesi, definitionibus, divisionibus supra significata. Aristoteles autem capite quodam interposito, quo totam varietatem vocum enumerat (21), transgreditur ad illam tractationem (22), quae incipit a verbis *λέξεως δὲ ἀρετή.* Agitur enim de vero et falso usu vocum aut propriarum aut hac vel illa ratione a proprietate distantium. Hic inter vitia barbarismus commemoratur. Sed singula postea recensebimus. Hoc dicimus illum ordinem artis, quem Barwick[14])

---

13) Testium inopia impediri videmur, ne sophistarum auctoritatem his in rebus diligentius patefaciamus.

14) „Begonnen war (apud Stoicos in illa *περὶ φωνῆς* arte, inprimis apud Diogenem Babylonium) mit den einfachsten Elementen der Sprache (*φωνή*), und die Betrachtung stieg zu ihren höheren Bestandteilen (*λέξις, λόγος*) auf, ging schliesslich über zu den *μέρη λόγου* und zu den *κακίαι* und *ἀρεταὶ λόγου*, woran sich noch manches andere anschloss“ (92); „der allgemeine Aufbau der

copiosa disputatione a Stoicis persequitur usque ad latinos grammaticos, iam apud Aristotelem inveniri.

Stoicos autem non solum in ordine disputandi instituendo, sed etiam in rebus ipsis multa Aristoteli Peripateticaeque doctrinae debere, iam eo apparet, quod Theophrastum *περὶ σολοικισμῶν* scripsisse Diogenis Laertii index docet (V, 48), de Theophrasti Aristotelisque in virtutibus dicendi auctoritate autem omnino nil dubitationis est. Gravissimis testimoniis probavit Barwick Stoicorum esse illud discrimen posteris consuetum, quo barbarismus a soloecismo eadem fere ratione, qua tropus a figura, ita seiungitur, ut ille ad singulas voces, hic ad structuram et ordinem vocum spectet. Sed vestigia huius discriminis multo vetustiora esse supra demonstravimus. Apud Diogenem Babylonium aperto discrimine singula verba *(λέξις)* praeter consuetudinem eorum Graecorum, qui auctoritate probati sunt *(εὐδοκιμοῦντες)*, dicta opponuntur orationi *(τῷ λόγῳ)*, vocibus parum inter se convenientibus. Famosam porro illam quadripertitam rationem, quae est per adiectionem, detractionem, immutationem, transmutationem, Stoicos voluisse cum aliis partibus tum ei provinciae, quae est de barbarismo et soloecismo, inesse idoneis argumentis demonstrat Barwick (96), ita tamen, ut ipse hic Marxii usus doctrina rem repetat ex Aristotelis eiusque scholae doctrina quadam apud Philonem (de incorrupt. mundi 22) servata: *φθορᾶς τέτταρας εἶναι τρόπους τοὺς ἀνωτάτω συμβέβηκεν, πρόσθεσιν ἀφαίρεσιν μετάθεσιν ἀλλοίωσιν.* Nisi fallor, possunt et huius rei vestigia manifesta in Aristotelis de oratione doctrina aperiri. In illo capite XXI poëticae nominum genera ita describuntur, ut primum quidem simplicia a compositis seiungantur. Tunc alia divisio instituitur. Nullum vocabulum esse dicitur quod non sit aut *κύριον* aut *γλῶττα* aut *μεταφορά* aut *κόσμος*

Schulgrammatik, wie er uns noch klar vor Augen liegt in der ars des Donat und sich mit Sicherheit für die gemeinsame Quelle des Maximus Victorinus (GL VI 185 sqq) — Audax (GL VII 320 sqq) erschliessen und für die ars des Cominian und der vom Gewährsmann der Charisiusgruppe ausgeschriebenen ars mit der grössten Wahrscheinlichkeit vermuten lässt (auch das erste Buch des Sacerdos war sicher in der gleichen Weise gegliedert, und ebenso die ars des sogenannten Asper, nur dass in der letzteren die auf die vitia und virtutes orationis bezüglichen Kapitel weggelassen sind), kann kurz dahin charakterisiert werden: den Mittelpunkt bildet die Lehre von den Redeteilen; daran schliessen sich einige Kapitel über die vitia und virtutes orationis. Den Redeteilen voraus gehen Erörterungen über die Begriffe vox, littera, syllaba" (89),

aut πεποιημένον aut ἐπεκτεταμένον aut ἀφῃρημένον aut ἐξηλλαγμένον. Facile apparet huic divisioni non inesse unam eandemque rationem. Non miramur igitur tres ultimas species artioribus vinculis inter se cohaerere quam cum ceteris, „*as they are substantially the same as the usual words*“, eademque „*are abnormal only in form*“ Bywater 288. Dignissimum quod attendatur Aristotelem in capite XXII, cui posterorum more inscribemus de orationis virtutibus et vitiis, copiosius in illorum et usu et abusu versari. Aristotelis verbis ipsis (1458 a 1) apparet contineri haec tria aut adiectione aut detractione aut immutatione. Sunt enim ἐπεκτεταμένα vocabula aut vocali producta aut syllaba interposita aucta, ἀφῃρημένα sane vocabula, quae alio loco ἀποκοπαί dicuntur (1458 b 2), non disertis verbis dicuntur esse aut vocali correpta aut syllaba quolibet loco supressa deminuta, sed verba ἂν ἀφῃρημένον τι ᾖ αὐτοῦ illustrantur solum apocopae exemplis talibus, qualia sunt δῶ = δῶμα, ὄψ = ὄψις. Verba permutata dicuntur ea, quae alteram partem verbi usu consueti (τοῦ ὀνομαζομένου) retinent, alteram nescio quomodo commutant, ut e. gr. δεξιτερός pro δεξιός. Videtur igitur transmutatio illa posterorum desiderari, sed videamus, ne falsa hac specie decipiamur. In capite XXII enim scriptor exponit orationem apte esse commiscendam ex propriis et omnibus eis elementis, quae communi nomine τῶν ξενικῶν comprehendit quaeque numero septem esse l. s. l. exponit, ne ipsa aut obscura aut humilis fiat. Utrique legi autem optime respondere illa tria, quae eadem et grata et perspicua sint consuetis vocibus et conservatis et commutatis [15]). De harum rerum usu vel ante Aristotelem aliquantum artis et rationis exstitisse apparet eo, quod philosophus in criticis quibusdam refellendis plurimus est. Ac primum quidem epektaseon usum ita defendit, ut dicat neque abusum pravo iudicio aut ridiculi causa institutum quicquam conferre ad rectum usum improbandum, et exemplis ipsis facile illustrari posse, quantopere venustas carminum minuatur, ubi propria eis locis ponas, quibus poëta ad ξενικά confugit. Gravissimum autem illud duco, quod post hanc de epectaseon iure

15) 1458 b 1 οὐκ ἐλάχιστον δὲ μέρος συμβάλλεται εἰς τὸ σαφὲς τῆς λέξεως καὶ μὴ ἰδιωτικὸν αἱ ἐπεκτάσεις καὶ ἀποκοπαὶ καὶ ἐξαλλαγαὶ τῶν ὀνομάτων· διὰ μὲν γὰρ τὸ ἄλλως ἔχειν ἢ τὸ ὡς τὸ κύριον, παρὰ τὸ εἰωθὸς γιγνόμενον, τὸ μὴ ἰδιωτικὸν ποιήσει, διὰ δὲ τὸ κοινωνεῖν τοῦ εἰωθότος τὸ σαφὲς ἔσται.

disputationem hunc in modum pergitur: Fuerunt et, qui alia in oratione poëtarum reprehenderent, quia ab usu loquendi abhorrerent, ut Ariphrades ludibrio habuit verba talia qualia *δωμάτων ἄπο* pro *ἀπὸ δωμάτων, σέθεν, ἐγὼ δέ νιν, Ἀχιλλέως πέρι* pro *περὶ Ἀχιλλέως καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα.* Ariphrades non videt rationem harum rerum contineri ea ipsa re, quam criminis nomine affert. *Διὰ γὰρ τὸ μὴ εἶναι ἐν τοῖς κυρίοις ποιεῖ τὸ μὴ ἰδιωτικὸν ἐν τῇ λέξει ἅπαντα τὰ τοιαῦτα* (1459 a 3). Ordinem sententiarum, qui ab epectaseon apologia progreditur ad similia quaedam, quae in enumeratione proposita non commemorata erant, illustravit Vahlen (l. l. 148 = LVI 268). Haec *ἅπαντα τὰ τοιαῦτα* illustrantur autem, si duo exempla media praeterimus, anastropha praepositionis. Nunc colligas velim. Quattuor genera vocum a proprietate remotarum (glottae, metaphorae, *κόσμος*, verba facta) ipsa copia verborum a consuetudine recedunt, tria adiunguntur inter se connexa, in quibus servata copia verborum per adiectionem, per detractionem, per immutationem a consuetudine formae receditur. Quae desiderabatur transmutatio, ea sequitur in ipsa de orationis vitiis et virtutibus arte appendicis tanquam loco. Ratio enim illarum anastropharum nulla alia artis voce comprehendi potest neque habet aliter, quomodo ordini Aristoteleo sese subiungat. Haec puto non indigna esse, quae in memoria illius quadripertitae rationis ab initiis repetenda recenseantur.

Sed non dubitari potest, quin similis doctrina iam Platoni obversata sit, cum in Cratylo dialogo conscribendo mutatas verborum formas describeret. Omnia enim, quae verba pati possunt, redeunt et hic ad illa quattuor fata. Non necesse est omnia exempla aut adiectionis aut detractionis afferantur, quae sunt plurima; pauca delibamus: adiectio, detractio, transmutatio coniunguntur 431 e *ἐάν τι ἀφέλωμεν ἢ προςθῶμεν ἢ μεταθῶμεν*, quartum adicitur 394 b: Sicuti medicus in medicamentis, *οὕτω δὴ ἴσως καὶ ὁ ἐπιστάμενος περὶ ὀνομάτων τὴν δύναμιν αὐτῶν σκοπεῖ καὶ οὐκ ἐκπλήττεται, εἴτι πρόςκειται γράμμα ἢ μετάκειται ἢ ἀφῄρηται ἢ καὶ ἐν ἄλλοις παντάπασι γράμμασίν ἐστιν ἡ τοῦ ὀνόματος δύναμις.* Adiectio, detractio, accentus immutatio coniunguntur 399 a, producitur vocalis 398 c, littera initialis in fine vocis ponitur 404 c. Apparet ex hac quadripertita necessitate mutationis non minus potuisse elici etymologiae rationem quam metricae, grammaticae, rhetoricae provideri. Toto genere disserendi demonstrat Plato se non primum in illas causas mutationis incidisse. Apparet so-

phistas hac fere ratione fata verborum in variis provinciis doctrinae descripsisse. Sed paulum defuit, quin haec in illum apud posteras artes sollemnem ordinem constantia memoriae traditum coniungerentur.

II.

Quod iam Schepss (l. l. 22 sq) felici quadam ductus divinatione significavit: *vetustiores Romanos grammaticos ex Stoicorum traditione plerumque pendere, Diogenem Babylonium anno 155 a. Chr. n. una cum Carneade et Critolao legatum missum Romam, Panaetii illum magistrum,* plurimum contulisse ad sententias Romanorum hac in parte conformandas, id nunc Barwickii opera multo clarius quam antea apparet. Haec studia ut alia fovebant atque alebant omnes illi viri aut Graeci aut Romani, quos sibi auctoritate gratiaque conciliaverant

virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli.

Hinc omnis pendet Lucilius, cuius scripta nos hic in proposito nostro persequendo praeter alia retinent. Singularem enim locum occupat Lucilius in eo, quod apud illum invenies rem multis ac variis a partibus illustratam esse, si quidem ipse mirabili abundans et copia et varietate loquendi omnia semina latine loquendi studiosissime excoluit atque exsecutus est, si quidem et his in rebus saturae mordacitate arripuit, quicquid dignum erat describi, si quidem rationem denique ipsam et disciplinam linguae grammatici tanquam persona suscepta sibi proposuit seu serio seu iocose explicandam. Sed hic quidem ingenti fere difficultate impedimur, ne vera poëtae consilia e fragmentorum singulorum nubibus plurima obscuritate refertis eliciamus. Frustrantur enim multis locis schedia Luciliana ut sunt σπουδογέλοια atque ex iocosis et seriis studiis nunquam non commixta atque conflata eos, qui disiectis membris orationis tantum uti possunt in ordine verborum, sententiarum, consiliorum restituendo. Nihilominus haec fere apparere videntur: [16])

A

Rusticam asperitatem dicendi et provincialium genus dicendi singulari studio amplectitur poëta ita,

16) Marxii copias uberrime in commentariis et indicibus allatas nos ubique adisse etsi per se intellegitur, tamen, ne ingrati videamur, disertis verbis profitemur.

ut aut inde petat, quibus suam ipsius orationem exornet, aut ita, ut seu salso ludibrio seu affabili lenitate carpat, quos videt hoc modo ab urbana norma abhorrere. Veluti Metelli Macedonici filium, C. Caecilium Caprarium, ludibrio habet, cum dicit (Luc. Müller, Leben und Werke des Lucilius 40) se timere, „dass aus dem praetor urbanus ein praetor rusticus werde," *Cecilius pretor ne rusticus fiat* 1130 M (Marx ad vers. 210/11, 1130; Cichorius, Untersuchungen zu Lucilius 87, 277). Familiam autem Metellorum poëtae inimicissimam origine fuisse Praenestinam scimus. In Vettio quodam tangit eandem dialectum, quam iam Plauti temporibus urbanis risui fuisse constat (1322 = Quint. I, 5, 56 *taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis quoque, nam ut eorum sermone utentem Vettium Lucilius insectatur).* Haud sine aliqua veri similitudine Marx hunc Vettium intellegit esse illum Vettium Philocomum, quem Suetonius (de gramm. 2) dicit Lucilii familiarem poëtae carmina legendo commentandoque nota fecisse, etsi Cichorius (348), offensus ille et Philocomi cognomine graeco parum cum usu Praenestinae dialecti conveniente et *insectandi* voce Quintilianea, aliter sentit. Poterat certe haec verborum cavillatio et inter amicos institui, si quidem ne Scipionis quidem consiliis grammaticis poetam pepercisse postea commemorabimus. Apparet et inter rusticam pronuntiationem et glottarum, ut Aristoteleo illo genere dicendi utamur, seu ex dialectis seu ex peculiari quorundam ordinum sermone petitarum usum aliquantum interesse. Talia autem Lucilius ipse, quo ardet studio linguae omnibus a partibus locupletandae et illustrandae, non modo non fugit, sed amplectitur et in deliciis habet (1318 *„sollo" osce dicitur id quod nos „totum" vocamus*, ratio usus plane obscura, cum ne de sententia quidem fragmenti Marx et Cichorius (304) consentiant; 1249 *pipare* ex usu Oscorum petitum esse dicitur; *gumiae* 1066 et 1237 Umbriae deberi videntur). Quam sit multus in sermone castrensi, facile ex Marxii indicibus colliges. Ad supellectilem meretriciam pertinent 1186 *inbulbitat* et *inbubinat*, 1071 *nemo istum ventrem pertundet* dici mihi quidem videtur in vetulis male olentibus meretricibus gumiis (1065 sqq), ut *debattuere* apud Petronium, *batuere* apud Ciceronem, obscoene (*de serm.* 50 sq).

Sed iniquae fortunae invidia cum non habeamus, quomodo rationem in his tantis divitiis dicendi temperandis institutam illustremus, vix a vero aberrabimus, cum suspicabimur Lucilium in usu glottarum italicarum, in imitatione pronuntiationis parum urba-

nae, in oratione undique ex omnibus fontibus puris impuris locupletanda eandem fere varietatem quam in oratione graeca sectatum esse. Et hic quidem multitudine exemplorum, inter quae non desunt, quae latius ultra singula verba pateant, apparet, quam multiplex rei usus et ratio fuerit. Poterat autem Lucilius ille, qui postea Ciceroni inter gravissimos auctores urbanitatis est, qui provincialium errores carpit, ubicumque animus et res tulit, eo modestiae descendere, ut diceret se *Scipionis Rutiliique iudicium reformidare, Tarentinis et Consentinis et Siculis scribere* (592 sqq). Sed hanc speciem modestiae nemo ad fidem testimonii revocabit.

B

Horatium Lucilium cum aliis de causis reprehendere tum eo nomine,

quod verbis Graeca latinis
miscuit

(sat. I, 10, 20), nemo nescit. Atque hac in re illud animum tenet, quod duobus certe locis poëta ipse introducere videtur, qui de nimio graecorum vocabulorum usu in consuetudinem Romanam irrepente querantur. De horum locorum consilio et ratione quid iudicandum sit, videamus. Prior est in illo libri primi concilio deorum. Hic Romulus Quirinus, si quidem Cichorii divinationi fidem habemus, exclamat (15 sq)

porro „clinopodas“ „lychnos“ que ut diximus semnos
ante pedes lecti atque lucernas

idemque 17 *„arutaenae“ que, inquit, „aquales“*. Apparet graecas voces latinis opponi, sed et ipsarum rerum graecis vocibus exornatarum usus in reprehensionem vocatus esse videtur

13 *psilae atque amphitapae, villis ingentibus molles,*
14 *miracla ciet tylyphantas.*

Versum 15 interpretatur Marx ita, ut exclamantis esse dicat *ut diximus semnos*, *semnos* autem illi laudatori temporis vere Romani invito ut vocem graecam obrepere. Quod etsi habet plurimum acuminis, tamen nescio an subeat aliquantum dubitationis in eo, quod *semnos* aptissime ad splendidam affectationem nominum graecorum refertur, *ut diximus* autem et *ut dicimus* ex consuetudine Lucilii (e. gr. 51) spectat verba ea, quae antecesserunt. Fortasse igitur post *semnos* interpungendum est ita, ut desit inter accu-

sativos oppositos quod potuit medio versui interiectum fuisse

ante pedes lecti – – ◡ ◡ atque lucernas.

Sed utut de interpretatione horum verborum dubia iudicabis, de consilio poëtae certe iusto audacius sensisse videntur Cichorius (227) et Leo (R. L. 425, 1), si quidem ille putat irrideri sententiam Catonum vel Pisonum ab ipsius poëtae usu et ratione alienissimam, hic, diversa usus interpretatione, subesse vult ironiam quandam, quae ad Lucilium ipsum peregrina sectantem in usu verborum pertineat. Tanta ac tam simplici constantia propositi et consilii usum esse Lucilium, ut eadem arte et ratione grammatici persona assumpta doceat, eadem usu et privato genere dicendi probet, eadem errantium vitiis per saturam notatis defendat, nil est quod putemus. Immo res est vel praeter interpretationem singulorum fragmentorum cum alibi tum his ipsis in consiliis patefaciendis plurima obscuritate impeditam multo intricatior et perplexior, quam ut talia cum aliqua veri similitudine proferri possint. Minime raro autem solet hoc fieri, ut posteri videant haud sine admiratione homines eiusdem aetatis de quibusdam rebus in controversia esse, quarum usu nescio quomodo communi coniunguntur.

Haeremus iterum altero quodam loco, qui pertinet ad illud in secundo libro inter Q. Mucium Scaevolam Augurem et T. Albucium constitutum iudicium. Hic (88 sqq) exponit Mucius, quomodo in accusatoris invidiam inciderit. Athenis enim se illum, qui maluisset Graecus quam Romanus videri, ita irrisisse, ut ipse praetor una cum cohorte et lictoribus illum salutaret: „*Chaere, Tite*“. *Hinc hostis mihi Albucius, hinc inimicus*. Causa igitur agitur inter graecissantem Epicureum et Scaevolam. Haud temere igitur accusator Auguri obicit, quod *homini monogrammo* (59) vim adhibuerit, i. e. homini adumbrato tantum, non coloribus corporato, viro misere macilento. Apparet orationem graecam usui esse in moribus Albucii describendis. Eodem modo inter res furto a reo raptas ab Epicureo accusatore enumerantur

Chirodytoe aurati, ricae, toracia, mitrae,

„lauter zum Teil recht intime weibliche Kleidungsstücke“ Cichorius 240. Scaevola autem, quem Ciceronis testimoniis scimus in Albucio exagitasse orationem puerilem, consulto verba graeca obicit adversario:

84 *quam lepide lexis compostae ut tesserulae omnes*
arte pavimento atque emblemate vermiculato

itemque idem

86 *Crassum habeo generum, ne rhetoricoterus tu seis.*

Etsi igitur in hoc iudicio et in concilio deorum ordo rerum haud sine aliqua veri similitudine illustrari potest, tamen varietas consiliorum poëtae modo iocosi modo serii multo maior est, quam ut rationem ipsam rei certis lineis adumbrare possimus. Ne hoc quidem scimus, quomodo iram et studium temperaverit aut diviserit inter duos adversarios iudicii (Marx I, XLI; ad vers. 241; Cichorius 57; Leo, Röm. Lit. Gesch., 422 not. 1).

Notum inter Luciliana fr. 181 (Leo, Gött. Gel. Anz. 1906, 845), cuius sententia aliqua ex parte illustrari potuit. Gellius enim scenam ita describit, ut poeta, ubi est questus de amico, quod se aegrotum non adisset, *festiviter* et *facetissime homoioteleuta ceteraque huius modi scitamenta quam sint puerilia* significet. Talia autem ipse in epistulam introduxerat, cum *nolueris* et *debueris* exiguo unius vocis spatio interposito coniungeret.

ut periisse velis, quem visere nolueris, cum
debueris. Hoc „nolueris" et „debueris" te
si minus delectat, quod atechnon et Eissocratium hoc
lerodesque simul totum ac symmiraciodes,
non operam perdo, si tu hic.

Sunt igitur et hic graeca ex usu artis petita, sed plurimo discrimine locus ab Albucii irrisione distat. Hic enim poeta epistolica garrulitate usus nescio quomodo se incidisse videt in eam formam loquendi, quae fortasse posset bilem legentis movere amici. Faceta praeteritione omnia ea, quae poterant de usu parum apto huius figurae afferi, primum copiose verbis apud criticos sollemnibus enumerantur, tum reiciuntur. Amicum enim parum sui studiosum illum indignum esse, ad quem epistula curiose exarata mittatur, dicit. Apparet consilio voces graecas tumidae doctrinae plenas opponi levi illi et ridiculae rei, a qua initium disserendi capitur. In ceteris restant, quae dubitationem moveant[17]).

---

17) Recte Leo demonstrat verba non aliter posse coniungi atque ita, ut intellegamus: *weil der Gleichklang regelwidrig und isokrateisch und zugleich läppisch ganz und gar und gründlich schuljungenhaft ist.* Recte porro cognovit verbis inesse

Similiter 784 luditur ita, ut philosophorum gravitas graecis vocibus exornata adhibeatur percommode ad facetias ipsas exaugendas. Agitur de periculo nescio cuius rei in iudicio apud Lupum famosisissum illum condemnandi (Buecheler, Rhein. Mus. XLIII, 292; Leo, l. l. 855; Reitzenstein, Hermes LIX (1924) 6, 2). Aut contumaciter non aderit, aut aderit iudicio reus:

non aderit: ἀρχαῖς hominem et stoechiis simul
privabit, igni cum et aqua interdixerit.
duo habet stoechia; adfuerit: anima et corpore
(γῆ corpus, anima est πνεῦμα), posterioribus
stoechiis, si id maluerit, privabit tamen.

---

hoc difficultatis, quod *atechnon* eodem loco habetur, quo *Isocrateum* et ea, quae sequuntur. In ceteris autem plus fere contortae doctrinae huic loco inesse vult, quam ut facile assentiar. Revocat enim *atechnon* eo, ut putet violatas esse leges epistulae illas, quibus hac in parte simplicitas praecipitur, reicitur omnis figurarum tumor (Dem. 223 sqq.), ab hac norma Peripatetica autem alienum esse Isocratem, cum ne in epistolis quidem conscribendis a consuetudine sua orationis conformandae recedat. Nondum satis videtur esse observatum Gellium consilio quodam crimina a Lucilio ficta suis verbis reddere: 1) *quae qui se Isocratios videri volunt in collocandis verbis immodice faciunt,* 2) *insubida* (lerodes), 3) *puerilia* (symmiraciodes), 4) *inertia* (atechnon) (Gell. XVIII, 8).

Nam, ut Lucilii verbis utar (fr. 452),

ut perhibetur iners, ars in quo non erit ulla.

Atechnon enim non solum est, quod praeter leges errore fictum est, sed et illud, *ars in quo non erit ulla,* quod naturae vel rerum dotibus extrinsecus affertur, ut memoria artificialis inartificiali opponitur facultati naturae, probatio autem inartificalis *(ἄτεχνος)* nil habet, quod contra leges artis prolatum sit, sed comparatur extra artem. Recte igitur Marx, quem in ordine verborum enucleando sane superavit Leo, interpretatur: quod non artis est, 'sed casu et sponte mihi in buccam venit.' Distinguitur igitur res consilii et rationis expers a puerili vanitate rei (*simul* enim est: atque ne consilio quidem et arte si esses usus, effugisses reprehensionem, *Isocrateum lerodesque* coniungendum est). Interpretamur igitur: weil mir ganz ohne künstlerische Absicht ein Reim 'untergelaufen ist und weil ohnehin diese gorgianisch-isokrateische Manie ganz und gar läppisch und schuljungenhaft ist. Hoc atechnon in homoioteleuti usu reprehendi potuisse multo facilius puto, quam ut mihi persuadeam epistolarum conscribendarum artem Isocratis usu neglectam hic spectari. Vix denique potuit Lucilius epistolas illas versibus conscriptas, quas Mummii exemplum secutus (Cichorius 67) in litteras Romanas introduxit, aestimare ex legibus quibusdam ad privatarum epistularum prorsam orationem pertinentibus. Immo videmus in nono (341), ubi artem suam grammaticam eandemque poëticam epistolae forma includit, satis commode epistulam versibus conscriptam pro exemplo habere, ut quo discrimine distent poesis et poema, illustret: *epistula item quaevis non magna poema est.*

Multo aptius, quam Leo, qui *si id maluerit* ad iudicem revocat, Marx intellegit: si adesse quam abesse se maluerit. Facetiae enim minime insulsae huius loci hoc continentur, ut reus, *si id maluerit*, duobus posterioribus elementis, corpore et anima, privetur. *Duo habet stoechia* quin ad reum pertineat, nulla dubitatio [18]).

In afferenda quadam philosophi sententia graecis ipsis, nisi fallimur, verbis — nam sententia ipsa (Norden apud Cichorium 178, 1 suspicatur Socratis illud *γνῶϑι σαυτόν* laudari) non servata est — apte dicitur

908 *tum illud epiphoni quod etiamnunc nobile est.*

Ab hoc usu orationis graecae haud ita aliena sunt, quae fr. 540 afferuntur. Hic lepidissime heroides recensentur ita, ut in rebus non minus quam in verbis epici carminis gravitas opponatur ludibundis opprobriis. Marx ordinem verborum acutissime interpretatus est, nisi quod Penelopen ipsam haec verba facere putat,quae sunt potius ad colloquium quoddam criticorum irrisorum revocanda (cf. *habuisse*, Leo ll. 852):

Num censes calliplocamon callisphyron ullam
non licitum esse uterum atque etiam inguina tangere mammis,
conpernem aut varam fuisse Amphitryonis acoetin
Alcmenam, atque alias, Helenam ipsam denique — nolo
dicere: tute vide atque disyllabon elige quodvis —
κούρην eupatereiam aliquam rem insignem habuisse,
verrucam, naevum, punctum, dentem eminulum unum?

Apparet omnibus his locis nil inesse, quod tollere velis, ut Horatii censuram sequamur. Qui enim poëtae orationem ex graecis et latinis vocibus commixtam reprehendunt, totum hoc genus

18) Dum recensemus illas facetias Lucilianas, non est, quomodo non aures nostras personet illud epigramma, cuius elegantia mira quadam similitudine ad illas accedit:

Cuncta elementa gero, sum terra, est ossibus ignis,
Aether inest natibus, vulva ministrat aquam.

Hoc dicitur Faustina quaedam edidisse, cum a Rudolpho II. imperatore iuberetur quattuor elementa versibus persequi. Sed frustra conatus sum enucleare diligentius originem horum versuum colloquiorum potius quam librorum memoria conservatorum. In Weberi Democrito (cap. XXIV) video pentametri partem priorem hunc in modum afferri:

Naribus aer inest.

facetiarum reiciunt, non privatam quandam temeritatem poëtae fortuito institutam tangunt. Nam vides omnia haec graeca non posse ab oratione removeri nisi ita, ut tota harum facetiarum natura ac necessitas commutetur.

Aliis locis graeca, non latina eliguntur, ut cotidiani usus proprietas describatur a grammaticis purae elegantiae studiosis aliena illa. Hoc fit in usu conviviorum et iure potandi (*chrysizon vinum* 1154, *dapsilius* se invitavit 1074), in eis rebus, quae ad artem medendi spectant (*arthriticus* 33, *apepsia* 923, *panacea* 1367, *cataplasma* 813, *gangraena, herpestica* 53), in mensae denique deliciis, piscium nominibus, vestibus, vasculis domesticis (*psilae atque amphitapae* 13, saepissime similia alibi). Eandem consuetudinem facile observabis in eodem campo apud testes longe a Lucilio alienos, apud interpretes scriptorum biblicorum. Affero ex Vulgatae usu haec: Joann. 2, 7 *implete hydrias*, 9 *ut autem gustavit architriclinus*, Sap. 16, 12 *neque herba neque malagma sanavit eos*, Matth. 9, 2 *offerebant ei paralyticum*, Luc. 22, 43 *agonia*, Jes. 38, 21 *ut . . . cataplasmarent super vulnus*, Matth. 27, 28 *et exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei*, Marc. 8, 19 *quot cophinos fragmentorum plenas sustulistis*, Matth. 6, 30 *in clibanum mittitur*, Judith 10, 19 *conopeum*, Matth. 26, 23 *qui intinguit in paropside*[19]), Matth. 23, 5 *phylacteria*. Vides et haec Luciliana non posse removeri de genere dicendi nisi ita, ut minuas illum saporem domesticum et cotidianum, qui his in exemplis miro quodam ludo fortunae, quem eundem facile et in aliarum linguarum historia deprehendas, vocibus origine peregrinis adhaeret. Testis gravissimus Horatius, qui cum artem criticam in Lucilii exemplo ita absolveret[20]), ut demonstraret, quomodo argumenta Luciliana apte

19) Dignum quod attendatur exemplar graecum habere hic ἐν τῷ τρυβλίῳ. Talibus exemplis, quae et alibi inveniuntur, apparet, quantopere fuerint haec graeca cotidiano usu probata. Veluti Mt. 9, 23 αὐλητὰς (vulg. *tibicines*) reddit k (Bobbiensis, nunc Taurinensis) *symphoniacos*, Luk. 8, 24 γαλήνη (vulg. tranquillitas) redditur in cod. e (Vindobonensi) *malacia* (Gundermann AflL VII 586, cf. Italorum *bonaccia*, in quam propter significatam rem secundam graecum illud detortum est), Lk. 16, 6 γράμμα (vulg. *cautio, litterae*) est in e *chirographum*; v. Soden, das lat. N. T. in Afrika zur Zeit Cyprians (Texte u. Untersuchungen zur Gesch. der altchr. Lit. 33. Bd.), 349, 3.

20) Vide ea, quae Heinze interpretationi quintae in primo libro saturae praefatus est. Leo putat (R. L. 427) usu Lucilii apparere illis temporibus verba graeca, quae Plautus ad servos tantum et homines infimi ordinis reicit, in consuetudinem eruditorum irrepsisse.

possent et deberent tractari (iter, cena, iudicium, Venus aut in nuptis aut libertinis aut meretricibus exercenda, certamen scurrarum), non in singulis exsequebatur adiectionem, detractionem, permutationem, transmutationem, sed funditus totum genus saturae permutavit.

C*)

Inter personas Lucilianas singularem quendam locum tenet Granius praeco, vir infimi ordinis, sed facete dictorum gratia nobilibus viris adeo acceptus atque probatus, ut familiaris haec consuetudo virorum plurimo ordinis civilis discrimine distantium multo plus admirationis commoveat posterorum cogitationi quam ille inter Laelium Aemilianumque et Lucilium intercedens usus. Illius viri cum persequeremur imaginem, facile cognovimus incerto quodam fluxu hac in re veritatem et fidem vitae coalescere cum imitatione verbis poëtae amici expressa. Nam etsi ultra mortem Lucilii vitam promovit, si quidem (Cic. pro Plancio 33) exstat illius dictum de M. Druso tribuno plebis a. 91 editum, tamen in ceteris artissimis vinculis cum litteris Lucilianis cohaeret.

Atque Cicero quidem ad Paetum, facetum illum de secta Epicuri amicum, scribit (Ep. IX, 15, 2) se mirifice in illo invenire conservatam esse vetustam illam atque vere Romanam urbanamque rationem facetiarum. *Ego autem (existimes licet quidlibet) mirifice capior facetiis maxime nostratibus, praesertim cum eas videam primum oblitas Latio tum, cum in urbem nostram est infusa peregrinitas, nunc vero etiam bracatis et Transalpinis nationibus, ut nullum veteris leporis vestigium appareat. Itaque te cum video, omnis mihi Granios, omnis Lucilios, vere ut dicam, Crassos quoque et Laelios videre videor. Moriar, si praeter te quemquam reliquum habeo, in quo possim imaginem antiquae et vernaculae festivitatis agnoscere.* In omnibus eis verbis, quae ad illum spectant, ut memoria ipsa rerum parum accuratis finibus distaret ab imagine litteris Lucilianis expressa, huc plurimum contulit poëta ipse, cum singulares quasdam partes in saturis suis attribueret Granio

*) In hoc tertio itemque in eo, quod sequetur quarto schedio Luciliano, quae sunt de persona Granii et de arte grammatica Lucilii, fieri non potuit, quin quaedam repeteremus ex illis rebus, quas eodem fere tempore germanice in usum illorum commentariorum, qui Hermes inscribuntur, executi sumus.

illi, quae quatenus aut ad fidem veritatis aut ad arbitrium scriptoris essent exornatae, fortasse ne illa quidem aetate omnibus locis poterat a plurimis enucleari. Extat enim apud illum (411)

Conicere in versus dictum praeconis volebam
Grani,

i. e. *nescio quid meditans nugarum* interpellatus sum. Quod Granianum sibi proposuerit in versus i. e. in vincula numerorum coniciendum, ne divinatione quidem debet quaeri, cum hoc Lucilius omnino non indicasse videatur[21]). Quod autem hic dicta Graniana versibus exornanda exempli loco affert in meditatione saturae conscribendae, hoc magno argumento est Lucilium saepius eo, quo Horatius in sat. I, 7, modo ex uno dicto rerum et verborum ordine illustrando integram unam saturam repetivisse.

Accedit ad illam, quam significavimus, difficultatem augendam illud, quod Cicero, omnium Granianorum dictorum auctor gravissimus, lege quadam dialogi impeditur, ne anxie aut religiose litterarum memoriam a fide rerum seiungat. Personae ipsae colloquii multo commodius se vidisse aut usu ipso accepisse proferunt, quae Cicero ipse vix ex alio fonte nisi ex libris Lucilii haurire poterat, quam ut semper et ubique librorum scriptorum auctoritatem et fidem commemorent. Eodem modo duobus certe locis, quibus loquitur Crassus Ciceronianus (de oratore I, 16, 72; II, 6, 25) *ut Lucilius dicere solebat* (Marx ad v. 1241), verba poëtae, non dicta hominis spectari apparet. Horum locorum priore, qui est de officio oratoris, verbis parum nostrae intellegentiae patentibus nominatur Lucilius *homo tibi* (Scaevolae) *subiratus, mihi* (Crasso) *propter eam ipsam causam minus quam volebat familiaris.* Sed videtur hac cautione indicare Cicero se hic nescio quod discidium ex fide rerum et ex memoria litterarum satis notum in usum dialogi aliquatenus sedare atque componere (de hac ira non eodem modo iudicavere Marx XLI, Cichorius 57, Leo R. L. 422, 1). Altero loco, quo illustratur notissimum illud *neque ab indoctissimis neque a doctissimis,* additur tandem verbis diserte allatis (*de quo etiam scripsit*) fragmentum 593, quod acute nuper exsecutus est Baehrens, Hermes LIV 1919, 75 sqq.

---

21) Duplici igitur titulo a veri similitudine recedit Kappelmacher, qui nuperrime (PW-Kroll XIII 1636) sine ulla specie argumentorum Granii illam iocosam Albii cuiusdam reprehensionem cum Scaevolae et Albucii causa artissime connexam (95) a secundo libro removet et ad hunc locum (411) reicit.

Insunt inter Graniana, quae quin ex Lucilii scripta memoria ad Ciceronem propagata sint vix quicquam dubitationis, veluti illud de Albio (95), quod ex iudicio inter Albucium et Scaevolam in secundo libro instituto exceptum esse omnes praeter Kappelmacherum consentiunt, etsi Lucilii hic nulla apud Ciceronem auctorem mentio (de or. II, 281). In ceteris sunt, quae diligentius perpendantur necesse sit.

Veluti in Bruto Cicero ipse profitetur *nisi* (Crassus) *in eo magistratu* (a. 107) *cenavisset apud praeconem Granium idque nobis bis*[22]) *narravisset Lucilius, tribunum plebis nesciremus fuisse.*

Si recte video, hoc convivium Granii ad librum XX revocavit primus Iltgen disputatione erroris non magis quam optimae frugis plena (Luciliana, diss. Bonn 1865, excursus II). In eandem sententiam multo post alii incidere, multo gravioribus usi argumentis. Sed habet Iltgen, etsi profert quaedam, quae nolim ex oblivionis tenebris in lucem reducere, ea, quae immerito postea neglecta esse video. Atque primum quidem ad coenae Lucilianae memoriam revocat sine ulla argumentatione alterum quendam locum ex Bruto, qui est paulo post illam Granii Crassique convivii mentionem (160). Facile videbis haec verba proxime accedere ad illam Paeti laudem, a qua initium cepimus. Haec enim illic legimus de urbanitatis singulari colore ex persona Ciceronis ipsius expressa (171): *id tu, Brute, iam intelleges, cum in Galliam veneris; audies tum quidem etiam verba quaedam non trita Romae, sed haec mutari dediscique possunt; illud est maius, quod in vocibus nostrorum oratorum retinnit quiddam et resonat urbanius. nec hoc in oratoribus modo apparet, sed etiam in ceteris, ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granio praecone dicacitate certare. Eon, inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso; sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo.* Kroll in interpretando hoc loco iure miratur, quare iterum haec Lucilii cum Granio consuetudo paucis versibus ante tractata commemoretur[23]).

22) Iam dudum hoc *bis* multorum suspiciones commovit ut falso ex posteriore syllaba illius *nobis* repetita positum. Sed necessario illud esse removendum ordinis verborum et sententiarum gratia nego, si quidem Cicero poterat contaminatione quadam coniungere quae animo obversabantur: *nisi narrasset — narravit autem bis — hoc Lucilius.*

23) „Die Frage ist auffallend, nachdem eben erst (160) der praeco Granius und sein Verhältnis zu Lucilius berührt worden war; Cic. muss das vergessen haben.“

Praeterea mirum est omnino Lucilium hoc loco, a cuius sententia et consilio primum quidem plane alienus esse videtur, afferri. Ego putaverim haec verba esse defendenda a duplici crimine parum aptae abundantiae et molestae iterationis ita, ut et hanc scenam dicamus leviter hac ratione significari non tam colloquii ipsius quam litterarum Lucilianarum memoria traditam esse. Marx etsi Bruti verbis (ad vers. 411 Lucilii) ita utitur, ut Ciceronem ipsum illi certamini dicacitatis adfuisse putet, quod primum quidem verborum species certe suadere videtur, nihilominus illam ab Horatio in itinere Luciliano enarratam pugnam memorat, quae inter Sarmentum et Cicirrum Oscum commissa est. Hoc simile eo plus valet, cum sciamus Lucilium in itinere Siculo praebuisse Horatio hoc argumentum imitandum (vide Heinzium ad sat. I, 5, 50). Sed hoc certamen Lucilianum, quo a scurris quibusdam de pennis illis oscis (Dieterich, Pulcinella 239) aut servandis aut rapiendis pugnatur et verba trabalia lacessendi gratia iaciuntur[24]), multo est infra personas Granii et Placentini oratoris. Poterat enim poëta in certaminibus talibus dicacitatis describendis non minorem varietatem personarum et dignitatis interponere, quam in conviviorum usu. Verba autem ex Bruto allata non possumus non conferre cum illa in Paeto laudata urbanitate. Illic Granium vides cum Lucilio, Crasso, Laelio coniungi, opponi bracatis et Transalpinis nationibus, hic carpit praeconis urbanitas Gallum, utroque loco urbanitatis nomine intellegitur vernaculus sapor orationis Romanae non minus quam facetiarum ridiculique usus. De Tingae vel Tincae aetate praeter hunc Granii usum nil constare videtur, nisi quod illius barbarismos in voce *preculae* reprehendit Hortensius (Quint I, 5, 12). Hoc nostram sententiam neque probare neque infringere posse apparet. Lucilium nescio quo vinculo cum Hortensiis coniunctum fuisse argute suspicatur Cichorius (338). Sed huic de barbarismo Tingae ab Hortensio quodam vituperato testimonio nil tribuo neque, si mavis intellegere oratorem illum clarissimum atque rem ad aetatem poste-

---

24) Lucil. 117

dente adverso eminulo hic est
rinoceros,

Hor. II. 56

„equi te
esse feri similem dico“.

Ampullas illas epicas, a quibus Horatius initium capit, et dicacitatem scurrarum in Lucilii genus dicendi transferre ne cogitatione quidem audebimus.

riorem reicere, habeo cur contradicam. Apud Iltgenium sane omnia hoc testimonio continentur. Cum enim ferretur errore versus

489 *pergula pictorum, veri nil, omnia ficta,*

quem nunc scimus esse libri XV, inter fragmenta libri XX in editione Gerlachiana, in vocem illam conclamatam incidit. Rerum aut verborum ordinem non illustrat, Hortensii criminationem non minus quam Granii et Tingae certamen falsa deceptus specie ad librum XX revocat, immo eo audaciae procedit, ut omnia illa dicteria, quae a Cicerone Granio tribuuntur, ad cenam libri XX, quam iam cum Horatii cena Nasidieni confert, revocat. Hic multa ficta, pauca vera vides conflari. Nos hoc tenemus Granii personam Lucilianam duabus illis laudibus urbanitatis, facetiis et vernaculo sapore orationis vere Romanae, florere. Quo loco illud certamen dicacitatis saturis iniectum fuerit, nescio. Quam dignum sit tale certamen urbani et rustici sermonis Lucilio facile apparet.

Vicesimo libro inesse vult Marx cenam Granii primum quidem propter temporis rationem. Quae enim a. 107 gesta sunt, ea non possunt esse tractata nisi in eis libris, qui temporis ordine inter ultimos numerandi sunt. In vicesimo autem aperta vestigia narratae cenae deprehenduntur. Crassi personam in versu 573 verba facere putat, similia quaedam Horatiana et Petroniana exsequitur (prol. XLIX, ad. vers. 568 sqq). Eandem sententiam copiosius illustraverunt *Fiske, Lucilius and Horace*, Madison, 1920, 408 sqq., cuius libri legendi mihi hic fuisse copiam nullam magnopere doleo, et *Shero, The cena in Roman satire*, Class. Phil. XVIII 1923, 126. Equidem etsi tandem mihi persuasi Granii convivium iure huic loco attribui atque filis quibusdam affinitatis cohaerere cum illis posterorum cenis, tamen unum iure iniquius invenio ab omnibus esse neglectum. Cicero, ut est Scipionum et Laeliorum aetatis in omnibus rebus admirator et sectator, nullo modo offendere videtur in hac nobilium cum praecone urbanissimo consuetudine. Huius personam deflectit Horatius ad Nasidienum, Petronius ad Trimalchionem. Apparet in moribus domini describendis certe, ubi summa rerum apud Horatium non minus quam apud Petronium posita est, toto caelo distare posteros ab exemplo.

Parum commode putavit Marx hoc ordinis civilis discrimen tangi fragmento quodam Graniano, quod vicesimi libri esse putat,

1181 . . . . . . *Granius autem*
non contemnere se et reges odisse beatos.

Vix quicquam urbanitatis haberent haec verba in convivis nobilibus lacessendis adhibita. Sed ratio huius Graniani si non a cena Crassi, at certe ab hac interpretatione mihi quidem plane aliena esse videtur. Repetitur enim nescio quomodo ab Horatio in satura illa secundi libri Luciliani sectatrice (I, 7, 35). Hic luditur in ambiguitate proprii et appellativi usus vocis *regis*, ut apud Ciceronem ad Att. I, 16, 10. Altero loco Ciceroniano (ad. Att. VI, 3, 7) huius Graniani fit usus in vero rege. Talem ambiguitatem et illi de regibus Graniano infuisse putaverim. Nullo modo fieri potuit, ut Granii mores urbanorum convivarum risum et nauseam moverent eodem modo, quo Nasidienus et Trimalchio Vario, Fundanio, Encolpio, Ascylto risui sunt.

Horatius, cum unum certe versum ex hac vicesimi libri cena afferat in Nasidieni cena II, 8, 11 — facile autem fieri potest, ut multa alia insint Lucilianea, Lucilianum enim illius versus exemplum forte quadam longe alia de causa a grammatico affertur —, legentium animos ipse ad syncrisin invitare videtur [25]). Sed quae possunt proferri similia Horatiana et Petroniana ad illustranda fragmenta l. XX, ea sunt levissima. Nam, ut rem paucis complectamur, apparet coniungendos versus 1174—1176 + 569

fingere praeterea, afferi quod quisque volebat,
illum sumina ducebant atque altilium lanx,
hunc pontes Tiberinus duo inter captus catillo,
illi praeciso atque epulis capiuntur opimis.

Recte Marx interpretatur cocum omnis generis artificiorum peritissimum fingere quicquid iubetur facere. Enumeratio ciborum, vinorum, coci artificiorum apud Horatium et Petronium

25) L. 568 *purpureo tersit tunc latas gausape mensas* H. sat. II, 8, 11 *gausape purpureo mensam pertersit.* Plurimo morum et ingenii discrimine a collega distulisse videtur Gallonius praeco, *qui* (Ps. Acro ad Hor. sat. II, 2, 47) *habebat apparatum convivium, quem Lucilius etiam pulsat. hic etiam accipienserem piscem suis conviviis exhibebat.* Hanc personam Lucilianam tangit Horatius in sat. II, 2, 46 *haud ita pridem Galloni praeconis erat acipensere mensa infamis.* In eadem satira est et *lupus* inter pontes Tiberinos captus (32) et *ducendi* vox (35 *ducit te species*), quod utrumque habet Lucilius in vicesimo. Sed videtur nullo testimonio probari posse Lucilium convivium quoddam ab hoc homine exhibitum descripsisse. Tangit Horatius versus tales, quales exstant apud Lucilium 1238 ex Laelii Augurisque sententia ficti:

„O Publi, o gurges Galloni, es homo miser“ inquit
„Cenasti in vita nunquam bene, cum omnia in ista
consumis squilla atque acupensere cum decimano.“

ostentationis ridiculae est apteque coniungitur cum moribus inurbanis et ineptis dominorum. Hac ex parte et apud Lucilium haec verba intellegi vult. Quomodo hanc sententiam stare posse putet in Granii Luciliani memoria ceteris locis Ciceronisque iudicio patefacta, nescio. Equidem nil video esse necessitatis, quare verba Luciliana, quibus proponitur convivis copia largissima ciborum variorum et opimorum eligendorum, illam in partem accipiamus. Aliter si sentirem, non dubitarem censere Granii personam ex convivio libri XX esse removendam. Nam vide, quantum ponderis habeant cetera. Nullius pretii sunt 570 sqq. et 578; 577, de quo loco postea agemus, servus, ut fere fit in conviviorum consuetudine, vituperatur, *nugator* ille et *nebulo*; 575 legitur hoc

iam disrumpetur, medius iam, ut Marsus colubras
disrumpit cantu venas cum extenderit omnis.

Vix patet, quis qua de causa rumpatur, equidem malim, quam aut iram aut plenum ventrem causae nomine afferre, interpretationem petere ex simili allato. Rumpitur igitur indignatione aut risu dissoluto conviva in cantilenis audiendis. Similia Petroniana facile inveniuntur. Pendet autem iudicium de Granii in vicesimo partibus ex versibus eis, quos felici divinatione Crassi

esse cognovit Marx. In singulis plurimo discrimine ab illius interpretatione disto. Affert autem Nonius 427, 30 in illustrando discrimine eo, quod est inter *priores* et *primores*, cum alios locos (*digiti, ungues, nares primores, labra primora*), tum hunc ex Lucilii vicesimo

Calpurni saeva lege in Pisonis reprendi
eduxique animam in primoribus naris.

Ultima verba Lindsay cum Aldina supplet *primoribus naribus* – ⏑̲, Marx *primori[s fauci]bus naris.*

Equidem non dubito, quin sit scribendum *primoribus oribus naris*, intellegenda autem sint *ora naris* ut *foramina, fauces naris, ora specus* vel *speluncae*. Loquitur igitur orator, qui ludit figuris in modum Gorgiae. Optime haec conveniunt cum Crasso, ornamentorum dicendi peritissimo viro (de orat. II 122), qui apud Ciceronem *illa, quae similiter desinunt aut quae cadunt similiter aut quae paribus paria referuntur aut quae sunt inter se similia* exsequitur (de or. III 206), cuius fragmenta plena sunt harum rerum (cf. quae Cicero ex Crassi Philippica affert de or. III, 1), de quo Auctor IV, 3, 5 exemplum huius exornationis depromit.

In verbis ipsis interpretandis erratum est in eo, quod *reprendi* putatum est esse idem quod *vituperavi*. Quod si recte diceretur, nullo modo intellegi posset, quare Nonius praeter omnem aut sententiae necessitatem aut verborum perspicuitatem et ordinem anteposuisset suo exemplo illa verborum lacerata membra parum perspicua. Quid enim in Calpurni lege ille vituperavit? Apparet coniungendum esse: in hac lege *reprendi eduxique animam* in primoribus oribus naris. Habet aliquid similitudinis Petron. 62, 5 *mihi anima in naso esse*, quae verba sunt viri prae anxietate semimortui, aut Luc. 284

si movet ac simat nares, delphinus ut olim,

quo loco (Marx ad v.) hominem prurientem videmus multum suspirare atque anima crebra nares movere ita, ut cum delphino e mari in litus proiecto possit comparari. Praecisa est interpretatio illorum versuum eo, quod ex vetustis temporibus, etsi *anima*, non *animus* agitur, putatur *ira* significari. Equidem malim perturbationem intellegere talem, qualem testatur suspirium non tranquille et lente ex imo pectore ductum, sed cito crebroque in prima nare agitatum. Quare vetusta illa repetundarum lex Crassum — huius autem persona pendet ex interpretatione horum versuum — ad hoc perturbationis protraxerit, non habeo, quomodo explicem. Aptissime certe haec ad Crassum revocantur cum aliis in rebus nobilitatis studiosum, tum in illa repetundarum causa, quae erat inter Augurem socerum et Albucium, una cum Granio a Lucilio in secundo libro commemoratum (86 et 95)[26].

Unum Granianum miror Marxium non dignum habuisse, quod fragmentis Lucilii reciperet, cuius auctoritatem subesse apte suspicatus est (ad. v. 1181). Est locus, ut fert natura harum facetiarum, difficillimus apud Ciceronem (de or. II 254) de eo genere ridiculi, quod in ambiguo positum est. Primum exemplum facile intellegitur. *Brachium fregit* dicitur ambigue in Titio pilae studioso illo, qui idem putabatur signa sacra noctu frangere. Tum pergitur: *ut illud Africani, quod est apud Lucilium,*

---

26) De verbis ipsis cf. quod est Italorum huius aetatis *riprendere fiato,* porro CIL VI 33899 in devotione illud dictum *ne repraeensionem habeat,* de rebus Cic. de or. I, 26, 121 *in me ipso saepissime experior, ut exalbescam in principiis dicendi et tota mente atque artubus omnibus contremiscam. Adulescentulus vero sic initio accusationis e x a n i m a t u s sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu viderit.*

1280 *Quid Decius nuculam an confixum vis facere inquit; ut tuus amicus, Crasse, Granius „non esse sextantis"*. In priore exemplo verba, sententia, ordo, ratio facetiarum, omnia denique obscura[27]). In posteriore mirum in modum dormitavit Granii dicacitas, si quidem interpretibus fidem habemus, qui, ut alia infeliciora praetereamus, nil aliud spectari putant nisi illud posse hoc in laude et in vituperatione dici, cum qui non sit sextantis, sit aut pluris aut minoris.

Hoc non potuisse fieri ambigue contendo — nam ceteris locis puto ordinem rerum, sententiarum, verborum obstitisse, ne ullo modo posset vera loquentis sententia latere — nisi uno in ordine sententiarum, quem lepida quadam usus fabella de simili dicto tradita sic restituo. Abraham enim a Sancta Clara, nisi fallor memoria, cum severissima censura sacerdotis invectus esset in vestitus muliebris impudicam luxuriem atque dixisset nobiles feminas illa ratione nudatas potius quam velatas indignas esse, quae conspuerentur, iussus publice deprecatione verba edita sanare, ita rem egit, ut diceret se errasse, illas potius dignas esse, quae consputarentur. Vides in hoc genere dicendi affirmandi et negandi usum in eandem fere sententiam abire:

Cat. 5, 3 *omnes unius aestimemus assis*
ib. 42, 13 *non assis facis*
ib. 10, 13 *nec faceret pili cohortem*

27) Nam fac *confixum facere* esse *configere*, *configi* autem sagittis, telis proprie homines, translate verbis, fac porro et nuculas, quae quantis lapidum iniuriis lacessi soleant flebilis illa elegia de nuce queritur, dici posse configi, intellegendum autem esse aut Nuculam quendam aut Praenestinum quendam — hos ipsos enim nuculas esse appellatos Festi testimonio constat (p. 172 M, Praenestinum esse et suum Regem vult Hor. sat. I, 7, 28), omnia haec haud sine aliqua difficultate collecta parum fidei afferunt interpretationi. Nam praeter ordinem verborum obscurum in eo, quod a tertia persona ad allocutionem proceditur neque aut, quae ratio inter Africanum et Decium intercedat, aut loquentis persona perspici potest (cf. Cichorius 311), dubitationem plurimam commovet illud, quod vix interpretibus licet fidem adhibere eis, qui putant ludi in ambiguitate fructus et cognominis. Genere enim vocis aperte significato (*nuculam an vis confixum facere*) nil ambigui illius, quod Cicero hoc titulo comprehendit, relinquitur. Immo potius luderet languide et frigide in cognomine Praenestinorum aut in nomine proprio ille seu Decius seu Africanus, si sales essent positi in nuculae voce. Vereor, ne obscuritas horum verborum, quibus sine ullo fructu nimium desperati sudoris tribui, aut debeatur memoriae non integrae aut sit repetenda ex ea causa, quod ad rationem ambigui intellegendam desiderantur ea, quae antecesserunt quaeque Cicero non attulit.

Priap. 8, 3 *non assis faciunt*
Lab. 31 R *servos sextantis*
Luc. 1272 *quadrantis ratiti.*

Granius igitur, si recte ordinem sententiarum perspicio, ambigue corrigens, quae ab ipso aut ab altero quodam dicta erant, loquitur: Erravimus, des quaeso veniam, nón est séxtantís. Vix dubitabimus, quin res sit ex Lucilii memoria relata. Cicero, ne iterum dicat, *quod est apud Lucilium*, interponit ea verba, in quibus Lucilii potius quam rerum fidem sequitur: *ut tuus amicus, Crasse.*

Ad Lucilii auctoritatem revoco denique illud Granii dictum, quod sequitur illius partes in Albucii et Scaevolae causa a Cicerone enarratas: 282 *Huic similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris, ut cum patrono malo, cum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simulac domum rediisset: Perdam, inquit, vocem, si id fecero. Melius est, inquit, quam reum.* Nisi fallor iudicio, vestigia numerorum trochaicorum apparent, hóc cum féceris est fr. 784 in fine senarii.

Simulac tu domum redieris, mulsum frigidum bibas,
Perdam – ◡ *inquit vocem* – ◡ *hoc si fecero*
– ◡ – ◡ – ◡ – ◡, *melius inquit quam reum.*

Ad libros tempore priores igitur reicimur his verbis, nisi species numerorum nos decepit. Hoc autem nil difficultatis habere videtur. Persona Granii ipso praeconis munere quam fuerit apta atque expedita ad usum poëtae, quam facile potuerit omni generi rerum et causarum intermisceri, vix est quod moneamus.

D

Consilio nondum adhuc tetigimus gravissimum illud Lucilium ipsum arte et ratione elegantiam rectumque usum orationis exposuisse, semina peccandi patefecisse, ut quae sectanda, quae fugienda essent, appareret. Quod igitur quaerimus in Petronii exemplo, cum enucleamus, quae ratio apud illum intercedat inter ludibundam imitationem sermonis plebei et nescio quam doctrinam grammaticam seu rhetoricam, id ipsum apud Lucilium patet ab omni dubitatione remotum, si quidem ille insectator vitiorum et hac in parte est idque consilio et ratione. Librum nonum inprimis in his rebus esse versatum semper apparuit. Nimis cautum autem fuisse Marxium in qui-

busdam versibus huic libro ascribendis cum iam alii[28]) cognoverint, equidem diligentius demonstrari posse confido. Testimoniis ipsis enim apparet Lucilium via et ordine artem quandam grammaticam describere — quid si et hac in re licet Horatii, artis poëticae interpretis illius, memores esse? —, quae a litteris initium capit atque desinit in eum locum, qui est de poëtica. Utroque loco Accium largissimam copiam reprehendendi praebuisse facile intellegimus. Videmus iam Aristotelem partes quas vocat orationis ita describere, ut litterae initium faciant, agmen claudat *ὁ λόγος*, cuius vim iam explet simplex sententia, immo iam definitio hominis, cuius vim latius illustrat unum quoddam, quod ex multis et variis partibus compositum est, veluti Ilias[29]). In arte poëtica cum Aristoteles suam artem grammaticam interponat, minime hoc loco habet, quod accuratius poëmatorum genera describat. Sed Stoicos vidimus suas artes incipere a litteris, finire ita, ut de definitionibus, de poësi, de poëmatis agant (Diog. Laert. VII, 1, 44; 60). Media autem quae sunt intra hos fines, si quidem a Lucilio copiose tractata esse constat, quo in libro aptius constituemus quam in hoc nono? Nam quis dubitabit vincula forte quadam sine significatione libri servata ibi interponere, ubi et rerum natura distantium ordine et consuetudine artium necessitate quadam desiderantur?

Lucilius et aliis locis ad amicos epistolas protrepticas misisse atque versibus sua illustrasse videtur consilia. Insunt permulta huius generis fragmenta in l. XXVI (Cichorius 119 sqq., Leo 413, 4), e quibus unum attulisse sat habeo:

609 *quid cavendum tibi censerem, quid vitandum maxime.*

In nono igitur de recto usu orationis agens sic loquitur

349 *labora*
discere < rem >, ne res te ipsa ac ratio ipsa refellat[30]).

Nimis anguste vim horum fragmentorum circumscripsit Marx, quasi omnia ad orthographiam spectent, ductus fortasse verbis

28) Leo, R. L. 417, 3; Barwick 261, 1.

29) *Εἶς δέ ἐστι λόγος διχῶς, ἢ γὰρ ὁ ἓν σημαίνων, ἢ ὁ ἐκ πλειόνων συνδέσμῳ, οἷον ἡ Ἰλιὰς μὲν συνδέσμῳ εἷς, ὁ δὲ τοῦ ἀνθρώπου τῷ ἓν σημαίνειν* poet. 1457 a 28.

30) Corr. Leo, R. L. 416, 6. Putaveris normas latinitatis tangi: *Loquendi facultatem usus invenit, ratio comprobavit* (Donatianus, VI, 275, 13 Keil); conferas et *si quis dicat scrimbo pro eo quod est scribo, non analogiae virtute, sed naturae ipsius constitutione* c o n v i n c i t u r Varro fr. 268 Fun.

Terentii Scauri, qui, orthographiae ipse auctor, loquitur in refellendo illo de geminandis vocalibus longis ab Accio proposito (VII, 18, 12, K): *Unde etiam Lucilius in nono saturarum de orthographia praecipiens ait* (351)

a primum est, hinc incipiam, et quae nomina ab hoc sunt,
deinde[31]).

Nescio an recte haec verba ita interpreter, ut intellegam Lucilium primum esse locuturum de littera ipsa, deinde de nominibus, quae ab illa formata sunt i. e. in quibus formandis illa littera singularem quendam locum tenet. Re vera enim talia scriptorem afferre apparebit. In littera a sane nil servatum est praeter versus 352 sqq., quibus poëta a et longum et breve una eademque littera scribi vult. Sed quod ex littera E servatum est, id est ab omni orthographia alienum. Potest fieri, ut haec fr. 356, 357 omnino non fuerint huic de litteris parti inserta, sed verborum ipsorum neque vis neque memoria satis apte adhuc illustrata est. Afferuntur enim eis locis, ubi de fervendi coniugatione aut ad secundam aut ad tertiam classem instituenda — nil aliud quam hoc agitur — verba fiunt, duo versus, quorum prior Nonii tantum auctoritate continetur, posterior quattuor auctorum memoria conservatur,

356 *fervere ne longum vero hoc lectoribus tradam.*
357 *fervit aqua et fervet, fervit nunc, fervet ad annum.*

Lucilius igitur exemplis fictis docet in futuro (post annum) dici *fervet, fervere* igitur recte corripi. Probus IV, 241, 22 K *Sed in hoc verbo recte corripitur.*

Marx hic habet contortam quandam interpretationem et miras ambages, quibus et hos locos ad orthographiam revocet. Sententiam enim sic fere restituit: „*E geminato, ne medium quis habere „egere" breve e male credat, fervere ne longum*". *Vero: hoc lectoribus tradam, omnes enim dicunt f. a. et f.* etc. Quam alienum sit hoc ab omni veri similitudine, etsi facile demonstrari potest, tamen sat habeo memoriam veram loci restituisse. Traditur enim apud Nonium, unicum fr. 356 auctorem,

hoc lictoribus tradam.

Lectoribus cum ingereret Palmerius, omnes, si recte video,

31) *deinde* verbis Lucilii continuat Marx, quod antea putaverunt esse grammatici ipsius.

interpretes decepit. Sed quid lictoribus cum voce? Corripiunt reum, corripiendam esse censet syllabam poëta.

Lucilius, qui *fervere* in media syllaba, a qua iudicium pendet, produci vetuit, doctrinam absolvit ita, ut sententia facete proposita illud censeat lictoribus tradendum esse corripiendum:

fervere ne longum. Vero! hoc lictoribus tradam.

Ad orthographiam, quae ab hoc exemplo plane aliena est, revocamur eis fragmentis, quae sunt de *i* et *ei*. Scimus[32] Lucilium normam quandam petivisse ex eo, quod ubi de pluribus sermo erat, *ei* voluit scribi, ubi de uno, *i*. Itaque in genetivo singulari *filius Luci, Corneli, Cornificique* (362 sq.), *pupilli, pueri, Lucili* (366), in plurali nominativo *puerei*. In exemplis genetivi singularis non solum suum ipsius nomen, sed et significationem quandam eorum, ad quos haec missa sunt, subiecisse mihi quidem videtur, etsi non habeo, quo modo aut *Cornificio* illo aut pupillo illo utar. Nunc tabula proponam versus difficillimos 358—361 ita, ut a memoria ipsa Scauri initium faciam:

mille hominum duo milia item huc e utroque opus mille
militiam tenues i pilam in qua lusimus pilum
quo ipso tenues si plura haec feceris pila
quae iacimus adde se pella ut plenius fiat.

Sequatur Marx:

„meille" hominum, duo „meilia", item huc e utroque opus, „meiles"
„meilitiam". tenues i: „pilam" in qua lusimus, „pilum"
quo piso tenues. Si plura haec feceris pila
quae iacimus, addes e „peila" ut plenius fiat,

Porro Kent (Am. Journ. of Phil. XXXII (1911) 272):

„meille" hominum, duo „meillia" item: huc ĕ ŭtroque opus. „Miles",
„militiam": tenue i. „pilam" in qua pinsimus, „pilum",
quo pinso: tenue i. si plura haec feceris „peila"
quae iacimus, addes e, peila ut plenius fiat.

32) Sommer, Hermes XLIV (1909) 70. Mihi quidem hanc sententiam Kent nullo modo labefactasse videtur. Quatenus haec sympathia inter rem significatam et verbum et scripturam apud veteres Stoicos iam constituta fuerit, dubium est. Cf. et Kroll, Studien zum Verst. der röm. Litt. 105. *Saxo cere — comminuit brum* quicumque finxit (Enn. ann. 609, cf. Leo Röm. Lit. Gesch. 182, 2), simile quid spectavit, cum diremptam rem dirempto vocabulo exprimeret.

Colson (The Class. Quarterly XV (1921) 13):
mille hominum, duo milia, item huc e utroque opus, meille, meilia, iam tenuist i pila, in qua ludimus, pila, qua piso, tenui i etc.

Recte cognovit Colson neque accusativum *militiam* tolerari posse neque hunc ordinem verborum: *tenues ĭ: pĭlam . . . pīlum tenues.* Felici acumine vidit — nam *miles* erat Scaligeri, non memoriae — *milia iam* latere. Sed in eis, quae sequuntur, non iam habeo, quomodo illum sequar. Apparet *tenues* optime defendi posse similibus verbis *ut plenius fiat* 361, *tenue hoc facies i* 369. Non recte autem Marx tuetur *in pila ludere* exemplis talibus, qualia ad aliam rem spectant (ad v. 641). *In pila duplici* siccatur corpus (641), *in alea* perditur, fit *repetitio eius, quod in alea lusum est.* Discrimen ponimus in eo, quod *alea* vel *pila luditur, in alea* vel *pila* nescio quid patimur corpore aut sacculo. Itaque anastrophen praepositionis et hic, ut saepissime alibi, voluisse Lucilium contendo. Optime autem breve illud *ĭ* quadrat ad unicam vocem pilae.

Proponimus igitur: *iam tenues ĭ pĭlà in, qua lusimus* [33]*).*

Utitur igitur Lucilius singulari quadam arte et expedita quadam facilitate docendi in eo, quod vim vocum exemplis apte et breviter circumscriptis illustrat. Sed quae primum quidem laus esse videtur, ea habet plurimam copiam dubitationis et perturbationis in eo, quod iam ei, qui Lucilii aetate vel paucis saeculis post hanc artem legebant — ut taceam nos paucissimarum reliquiarum angustiis conclusos —, vix, quam late ultra singula exempla pateret lex, poterant intellegere. Veluti ratione opponitur *pilum quo piso pilis quae iacimus,* ut singularis in persona respondeat singulari in re, plurali rerum personarum pluralis. Sed poterat quaeri: Quomodo tu, Lucili, iudicas de pilo militari singulari scribendo, de pilis pistorum vel pinsitorum pluralibus? Quid quod Sommer [34]) (l. l. 75) putat ineptis quibusdam fallaciis usum Lucilium in plurali posuisse, quae discriminis interponendi gratia vellet per *ei* scribi, ut ad normam sympathiae inter rem significatam et vocis scripturam interpositae concludere posset.

33) Hoc *lusimus,* si quidem recte servatur, non habeo quomodo aliter explicem atque ex Lucilii amicique illius usu et memoria. Videtur poëta, ut Scaevola pontifex (de or. I, 217), pilae studiosus fuisse (641).

34) „Mit einem halb kindischen, halb jesuitischen Kunstgriff". Marx fatetur se pluralis rationem non perspicere posse.

Equidem puto distinguendum esse inter terminationes declinationis et coniugationis, de quibus non poterat nisi universe iudicari et in singulorum exemplorum usu, et ingentem copiam verborum usu latino oblatorum. Haec omnia iudiciis persequi qui potuit Lucilius epistola mille fere, ubi multos ei hac in re tribuimus, versuum?

Hic apparet eum pauca elegisse, quae similitudine soni vel alia de causa censuram critici non minus quam legentium animos possent commovere. Horum verborum scripturam ad vim rerum significatarum revocavit. Quae plerumque pluraliter consuetudine cogitandi et loquendi percipiuntur, ea in plurali affert, ea omnibus locis per *ei* scribi vult, quae plerumque singulariter, ea et in plurali tenuat. Sed fateor hoc divinari potius quam demonstrari posse[35]).

Sed sunt, quae interpretationem desiderent. Invehuntur enim in poëtam, quod ne in absurda sua norma quidem sibi constet, si quidem pronominis dativum in tertia tenuat, nominis pinguem facit, *illi* iubet scribi eodemque fere spiritu oris *furei*[36]). Agitur hic de duobus fragmentis difficillimis, quorum neutrum recte intellectum esse puto.

369 *hoc illi factum est uni: tenue hoc facies i,*
haec illei fecere: addes e ut pinguius fiat.

Versus prior ab omnibus videtur acceptus esse ut *quid hoc mihi faciet?* Quam sit hoc falsum, apparet ex sententia opposita: *haec illi fecere* est enim, numerum pluralem si excipimus, nil aliud nisi *hoc ille fecit*, habet Lucilius dativum auctoris praeter hunc locum et 880 *mihi explorata* et 191 *mi inventus.* Hoc loco eo minus *ei* scripsit, quo plus rationem rei in *dandi* vi ponit. Plurimum igitur discriminis voluit esse inter *illi factum* est, ubi *ille, qui fecit* intellegatur necesse est, et *furei datur.* Nam in dativo vere dativo, qui in altero illo exemplo est nullus, versatur exemplum famosissimum

35) Haud sine ratione vineam militarem a vinea rustici segregasse videtur eodem modo, quo pilum militare a civili, siquidem Lucilii auctoritas — nam nomen poëtae non affertur — subest illis verbis (VI, 18, 3 K), quibus Marius Victorinus has quas putat ineptias ludit. Consuetudine usus multos in multis exemplaribus vidit occupatos illic, unum in una re hic.

36) „Inkonsequent, wie alle orthographischen Reformer“ Sommer. Colson (ad Quint. I, 7 15) eo audaciae procedit, ut dativum pronominis in pronuntiatione ab eodem casu nominis distulisse suspicetur.

367 *mendaci furique addes e, cum dare furi iusseris.*

Apparet furem tagacem, sumendi cupidum non sine ratione poni, verbo *dandi* casum leviter tangi. Sed quis est, qui liberalitatem exerceat in fure nisi invitus, quis porro, qui alterum quendam iubeat ineptissima hac ratione uti? Equidem puto *malum* esse subintellegendum vel simile quid, iuberi autem imperativo „Adhibete! Date furi!“ Nam quae adhuc inesse voluerunt interpretes versui, ea Lucilii ratione in exemplis fingendis facili atque felici prorsus indigna sunt[37]).

Praeter ea, quae tractavimus, fragmenta noni libri disertis verbis esse dicuntur et ad artem illam ad nescio quos Pisones missam pertinent quaedam, quae ad orthographiam spectant. In compositis verbis L. usum nullo de assimilatione aut sectanda aut fugienda praecepto coërcet: abbibere an adbibere, accurrere an adcurrere scribas, hoc *non multum est, non est quod quaeras eque labores* (374, 375 sq.). De *ae* et *ai* litteris in casibus exeuntibus positis a Lucilio quod in nono praeceptum erat, id Quintilianum tacuisse, *quia pluribus explicatur versibus*, vehementer dolemus. Dativo

---

37) Lachmann (comm. in Lucr. 245 ad v. IV 622) trahit priorem partem versus ad i tenue, post *furique* interpungens. Cetera verbis mutatis de vocativo intellegi vult:

mendaci furique. addes e, cum „Dato, Furei!“
iusseris.

Satis infeliciter Colson (l. l. itemque ad Quint. I, 7, 15) scribit *addēt* vel *addent:* The correct speller, when you tell him to put „*fur*“ in the dative, will write „*furei*“. Cf. quae ex comicis afferri solent *sic datur, sic dedero, sic dabo, observa, quid dabo,* Lorenz ad Pseud. 151, Brix ad Men. 472, ubi vox *mali* reticetur. *Adhibete* est apud Petronium 45,12, cf. Heraeum in suppl. 284[6]. Eodem modo interpretandum est fr 577 (ex cena Granii) *nugator cui dem ac nebulo sit maximus multo. Dare* enim et hic est *es einem geben, heimzahlen. Nugator* est vox servorum inprimis propria, quibus *dari* solet. Cf. Luc. 1002 *quom me hoc tempore, nugator, cognoscere non vis,* ubi Marx apte servum intellegit, supplet *mox loris ureris* (poterat *dabitur tibi),* confert, quod apud Persium V 127 de servo ex Stoicorum sententia dicitur:

an dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
„I puer et strigiles Crispini ad balnea defer!“,
si increpuit, cessas nugator?

Cf. denique Petr. 52, 4 *haec dum refert, puer calicem proiecit. ad quem respiciens Trimalchio „cito“ inquit, „te ipsum caede, quia nugax es“. statim puer demisso labro orare. at ille „quid me“ inquit, „rogas? tanquam ego tibi molestus sim. suadeo, a te impetres, ne sis nugax“. tandem ergo exoratus a nobis missionem dedit puero, ille dimissus circa mensam percucurrit.*

certe adiungi *ae* vult. Sed quam disputandi rationem in his discriminibus sit secutus, frustra scire laboramus (371, 372).

Q litteram ita vult abhiberi, ut statim *u*, tum quaelibet alia vocalis sequatur (382). In *pelliciendo* (381) aliter atque in ceteris compositis, ubi rem libero iudicio scribentium tradit, geminari vult. Haec diversa ratio fluxit fortasse ex singulari vi litterae *r* [38]), quam poëta alio loco (377) dicit esse *cacosyntheton* atque *canina lingua*. Quae de littera *s* (fr. 379) afferuntur a grammatico ideo tantum, ut appareat *s* ut *r* et *l* in Lucilii versibus plenam syllabam facere, ea quorsum pertineant, prorsus incertum:

379 *s nostrum et sémigraecei quod dicimus sigma*
nil erroris habet.

Fortasse in usu huius litterae nil invenit, ubi offenderet, ubi peccatum esse videret.

Litterarum igitur sonos non minus quam scripturam curavit scriptor, si quidem caninam naturam atque linguam litterae r tetigit. Grammaticorum posterorum studia inprimis ea commoverunt, quae de orthographia dicta erant, cuius rationem repetivit poëta ex cogitandi elegantia et veritate. Alienissima ab omni orthographia sunt, quae de fervendi verbi coniugatione praecipiuntur.

Inter eam partem, quae erat de litteris, et illam, qua poëseos genera illustrabantur, medium locum tenuisse vitia sermonis nemo iam negabit. Noni igitur sunt verba

1100 *Adde soloecismon genera atque vocabula centum,*

in quibus afferendis grammaticus (Pompeius V 289, 7 K), etsi nimium loquacitati indulget, tamen docet, quam fuerit multus Lucilius in his rebus: *Lucilius dixit „centum“ et enumeravit omnes: exstat liber ipsius, dicit illud et illud. nam ait sic:* (fr. 1100), *et currunt ipsa vocabula versibus scriptis arte. et ibi enumeravit illa omnia.* Recte Marx verbis ipsis Lucilii concludit vocabula i. e. nomina singulorum soloecismorum quaedam illis temporibus fuisse

38) Fr. 381 sine libri numero allatum quin sit noni, nulla dubitatio. Satis mirum est poëtam hic in orthographia interpretamentum addere verbo, cuius quae sit ratio primum quidem satis obscurum:

pelliciendu, quod est inducendus, geminat l.

Nescio an vis *inducendi* orthographiae rationem *(ll)* adiuvare poëtae videatur. Suspicio augetur eo, quod *Cato pelliculationem a pelliciendo, quod est inducendo, dixit* (Festus + Paulus 242, Funaioli p. 13). Videtur igitur *pellis* subintellecta esse, cf. *das Fell* über die Ohren ziehen; *inducere* ipsum est ambiguum, cum et *corium, calcei, toga* similia inducantur.

iam artis usu probata. Ex tota autem hac materia uberrima nil est, quod invidiam fortunae superaverit, praeter tenue hoc frustulum apud Charisium conservatum:

1215 *Nam veluti „intro“ aliud longe esse atque „intus“ videmus,*
sic „apud se“ longe aliud esse neque eadem valet „ad te“
„intro“ nos vocas at sese tenet intus.

Res est tritissima omniumque de soloecismis artium usu sollemnis. Nihilominus ordo verborum et numerorum tam infelici perturbatione conflatus est, ut equidem de disiecti poëtae membris restituendis desperem fere. *Nam* indicat poetam iam antea nescio quomodo seiunxisse *vado intus ad amicum* et *sum intus apud amicum* vel simile quid. Secundum versum dedi supra secundum Neapolitanum. Dousa et Putschen quatenus hic libri deperditi illius, quo saepissime illos usos esse constat, vestigia sequantur, equidem nolo diiudicare. Sed multum valet illud, quod Barwick, Charisii memoriae, si quisquam, peritus ille, eos sequitur in eo, quod scribit in Charisii editione p. 142 (p. 111 K):

sic <et> apud te longe alid est, neque idem valet ad te.

Vides numeros sic bene stare, sed facilius corrigitur remoto illo ex versu primo repetito *esse* vel *est*

sic et apud te longe aliud neque idem valet ad te[39],

quam ut *alid* apud Lucilium probare velim. Sed miror neminem offendisse in taedioso hoc obscuroque ordine verborum. At, dices, recte Horatius *durus componere versus.* Concedo. Sed claudicant haec praeter modum. Nescio, quomodo ceteri verba intellexerint. Vix est, quomodo non aut nominativum intellegas *idem* (*apud te* non potest et *ad te* significare) aut accusativum (*ad te* non idem significat, quod *apud te*). Utroque loco desideratur iusta aut discriminis aut comparationis significatio. Restat, ut desperatam fere perturbationem personarum illam commemorem, qua secundus versus non minus quam tertius obscuratur. In secundo habet *apud te* Dousa Pu, *apud se* N, *ad te* N Dousa Cauchii excerpta, *adid* Pu, *ad se* ex coniectura Lachmann.

Tertii memoriam hac tabula describam:

N: *intro nos vocas at sese tenet intus,*
Dousa: *intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se,*

---

39) Marx restituit
sic < item > „apud te“ aliud longe est, neque idem valet „ad te“.

Cauchii exc.: *intro nos vocas ad sese tenet intus apud se,*
Pu: *intro nos vocant ad sese tenet intus apud se,*
Marx: *intro nos vocat, at sese tenet „intus“,*
Barwick: *intro nos vocas, at sese tenet intus apud se.*

In tertio mihi res facilius apparere videtur. *Ad se* et *apud se* illustranda sunt. Totā memoriā tertia persona confirmatur, *vocas* ut putemus corripi apud Lucilium, vix nobis persuadebitur, etsi exstat *fecerĭs* 360, *iusserĭs* 368. Est igitur exemplum comparatum eodem modo, quo *fervit aqua et fervet, fervit nunc, fervet ad annum*, neque dubitamus, quin scribendum sit:

Intro nos vocat ad sese, tenet intus apud se.

In secundo videtur secunda persona eum alloqui poeta, ad quem omnia haec missa sunt.

Marx demonstravit Lucilium ipsum habere exempla illorum soloecismorum in arte ab ipso vituperatorum. Ecquae consilia imitationis mimicae singulis locis subiectae sint, frustra quaeremus. Talia suspiceris in mulierculis illis causas itinerum fingentibus:

993 *aut cum iter est aliquo et causam commenta viai,*
aut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.

Ex castrensi usu petitum (960) *sub vitem proeliari*, vitem centurionis per iocum castrensem vineae supponi lepide intellexit Marx. Ex persona meretricis quae dicuntur 1193, ea afferuntur a grammatico (IV 564, 16) in arte quadam soloecismi ita, ut *ad se* pro *apud se* notetur. Sed verborum ipsorum sententia et ordo tam obscura, ut de consilio poëtae minime liceat quaerere:

Hymnis cantando quem adseruisse ait ad se

(Cich. 170).

Haud sine aliqua veri similitudine ad hanc de soloecismis artem Lucilianam rettulit Schepss (26) fr. 1284

quis hunc currere ecum nos atque equitare videmus,
his equitat curritque; oculis equitare videmus,
ergo oculis equitat.

Talia enumerat Aristoteles inter soloecismos fallaciis sophistarum in adversario demonstratos. Soloecismus enim continetur eo, quod, quae ipsa nil vitii habent, falso ordine coniunguntur. Hic ablativus specie quadam veri trahi potest ad verbum infinitum, cum sit finiti.

Lucilius artem suam ita absolvit, ut de poësi et poëmatis agat. Fragmentis apparet singulari quadam arte vel artificio a

discrimine inter poësin et poëmata constituto petivisse poëtam, unde poëticae suae censurae vim, rationem, naturam illustraret. Vereor igitur, ne Lucilii ars vix minus quam Horatii quaerendi deverticulis disponendique ambagibus nescio quomodo obscura fuerit neve non omnia fuerint illo ordine illaque constantia, quae indicantur fr. 351, illustrata. Ordinem versuum 338—347 sic fere restituemus (plurimis locis cum Leone facio, qui R. L. 417, 4 recte 347 scribi iubet

versum unum culpat, verbum, enthymema, poëma.

Uncis inclusimus, quae supplevimus): Poësis et poëma quo discrimine distent, non recte perspicere mihi videris. < Aliter enim si res se haberet, non offenderes in eo, quod Homerum, Euripidem, Ennium, Accium, viros summos, Musarum denique artem omnem reprehendissem. > Poësin intellego Iliada, Annales, poëmata aut singulas partes ex magnis his operibus decerptas aut carmina integra angustius ambitu et numero versuum circumscripta, quorum in numero sunt et epistulae versibus conscriptae tales, qualem his schedis ad te misimus. In singulis verbis, versibus, sententiis, poëmatis qui videt illos poëtas labentes, parum stantes, dormitantes, censurae vi non comprehendit totam poësin, totam Iliada etc. Et hoc loco apparet, quam facili et expedita arte disputandi Lucilius scholasticam quandam doctrinam artis sollemni usu traditam exemplis graecis latinis illustret, quam sit semper memor temporis et hominum ab omni compendiorum docendi ariditate et ieiunitate alienissimus, quam feliciter denique privata sua in poëtis recensendis iudicia universae arti subiciat.

Cum constet Accium sescentis locis a Lucilio esse tactum, miror unum huiusmodi versum nondum recte esse intellectum, qui sane est non noni, sed XV. libri. Nonius enim de tunicis aut manicatis aut non manicatis agens affert ex Cicerone (in Cat. II 22) *manicatas tunicas*, ex Plauti Pseudolo (738) *manuleatam tunicam*, ex Lucilio denique cum alium quendam versum, tum hunc

495 *scit ποιητικὸν esse, videt tunica et toga quid sit.*

Sed quid poësis ad tunicam? Mueller igitur *poletikon* scripserat, sed Marx servata memoria loci contorte interpretatur, quasi spectet hic poëta non poëticam illam omnibus notam, sed petat ex usu philosophorum graecorum illam divisionem practicarum, theo-

reticarum, poëticarum artium. Sententiam supplet hoc modo: Textoris pectinem aduncum scit poeeticon esse, videt t. e. t. q. s. Sed quis quaeso sibi persuadebit remotam hanc doctrinam huic loco subesse? Felici quodam casu poëticae cum manuleis necessitas confirmari potest. Accium enim scimus in didascalicis de manuleis ipsis egisse, cum ornamenta histrionum tragicorum persequeretur, in octavo enim inerant apud illum (7 Funaioli)

actoribus manuleos baltea machaeras.

Accium igitur mihi quidem tangere videtur versus, illum, qui discrimina vestimentorum nomine artis poeticae ut ποιητικὸν tractaverat.

Percommode illud accidit, quod servata sunt verba, quibus Lucilius facete luserat amici patroni in arte grammatica collocata studia. Scipio enim, quem scimus *versum* pro *vorsu*, *rederguere* pro *redarguendo* comprobasse (Funaioli, Gr. R. F. 4), cum *pertisum* auderet, hanc censuram passus est ab illo:

963 *quo facetior videare et scire plus quam ceteri,*
pertisum hominem, non pertaesum dicere † ferum nam genus.

Hos versus lepidissimos ut restituere conaremur, commoti sumus eo, quod quae Marx habet, minime placent. Scribit enim

pertisum hominum, n. p., dicere humanum genus.

Sententiam supplet: *debes tamen.* Tunc igitur non ad Scipionem ipsum haec dicuntur, sed ad nescio quem alium, quod facile probatur: *Si facetiarum et urbanitatis laude florere vis, tunc . . .,* sed quare non *dic*, quod exstat? Sed vix apte restituit Marx sententiam ita, ut hominum quorundam humanum genus dicatur pertaesum esse. Haec enim eiusdem vocis repetitio hac in sententia vix ferenda est. De taedio fingendum est exemplum.

9 *O curas hominum! O quantum est in rebus inane!*

In *ferum*, cuius *e* numerorum gratia producendum est, nil aliud nisi *rerum* inesse (cf. *dicere*) videtur. *Nam* autem est *iam*, quod in his sententiis consuetudine ipsa loquendi omnibus communi desideratur. Ex Lucilio affero

810 *quam satias iam omnium rerum tenet.*

Rerum hominumque natura totum vitae usum contineri apparet. Recipio igitur illud a Marxio correctum *hominum* et haec propono scribenda esse

963 *quo facetior videare et scire plus quam ceteri,*
pertisum hominum, non pertaesum dic te et rerum iam genus.

Scipionis genus dicendi accedit in eo, quod medio utitur in verbis *piget, pudet, paenitet* etc., ad plebeiam et biblicam latinitatem. Habet Trimalchio 48,4 *ne me putes studia fastiditum.* (Cf. *de serm. vulg.* 43). Est igitur suspicio, ne Lucilius carpat Aemilianum et hoc nomine his versibus.

Immenso intervallo priores huius poëtae editores post se reliquisse Marxium, cum Lucilii textum restituisset exornassetque commentariis eis, quos thesaurum multarum rerum et vocum merito nominaveris, quo magis constat, eo plus periculum est, ne auctoritate huius editionis removeantur ex studiis virorum doctorum, quae Marx, cum fuerint antea quaerendi disceptationi subiecta, ut honore quaestionis indigna neglexit. Veluti de Arnobii quodam loco apud Gerlachium (editionis p. LXVI) multa disputantur, quae hic non repetam, nedum tuear. Sed res ipsa intricatior est, quam ut silentio praetereatur. Arnobius enim, cum futilem atque inanem scientiam eorum, qui a Christo alieno sunt, opponit verbi divini veritati, haec exponit (adv. nat. II, 2, 6): *Quia per casus et tempora declinare verba scitis et nomina, quia voces barbaras soloecismosque vitare, quia numerosum et instructum compositumque sermonem aut ipsi vos nostis efferre aut incomptus cum fuerit scire, quia fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponi obsignatum memoria continetis, quia quae sint in litibus constitutiones, quot causarum genera, quot dictionum, quid sit genus, quid species, oppositum a contrario quibus rationibus distinguatur, idcirco vos arbitramini scire quid sit falsum quid verum, quid fieri possit aut non possit, quae imorum summorumque natura sit?* Ad haec verba (1177 M) recte perpendenda vix sufficiunt ea, quae Marx affert, cum dicit pro exemplis esse Christiano opera spurcissima cum derisione grammaticorum, qui remotissima quaeque tractent et obscena. Isidorus Hilberg (Wiener Stud. XXV (1903) 156) recte dicit Arnobium ordinem quendam persequi in eo, quod, cum exempla de grammatica, rhetorica, poëtica, dialectica petita afferat, totum orbem consuetudinis docendi et discendi amplectitur. In ceteris nullo modo mihi persuasit.

Fornicis nomine non posse comprehendere Arnobium totam poësin Lucilianam recte demonstrat Marx (ad. fr. 1177). Ipse putat nescio quem librum, vel VII vel VIII, fuisse hoc titulo inscriptum. Sed saepissime poeta in meretricum rebus et verbis versatus est, quarum usum cum amoribus nuptarum, puerorum, libertinarum, virginum eodem fere modo quo postea Horatius con-

tulit (Cichorius 159 sqq.) in libro XXIX. Sed si quidem necesse est certum quendam locum Lucilianum nominemus, commemorabo ex libro XXVIII fr. 766—792, quibus re vera fornix cum ab aliis tum ab Lucilio oppugnatus describitur. Hunc autem librum a potiori, ut dici solet, vel hanc partem ipsam nomine fornicis a poëta appellatam esse nolim contendere. Sed nescio, quare ad poëtam ipsum hunc titulum revocemus. Tangit Arnobius locum quendam celeberrimum poëtae, qui vel poterat vel solebat sic afferri. Sed cardo rerum non versatur in spurcitiis rei, quas sane subintellegi vult scriptor. Ceterorum exemplorum natura desideratur iudicium veri et falsi, cuius scientia poëtarum critici illo saeculo non minus quam in campis aliarum artium grammatici, rhetores, iurisconsulti, philosophi florebant. Nam Lucilius crescente a Neronis fere aetate in dies gloria ad tantum fastigium honoris promotus est, ut pro summo fere poëta haberetur (cf. testimonia Quintiliani, Taciti, Martialis, ceterorum apud Marxium I, CXXI). Hic, ut Plinii iudicium exprimam (n. h. pr. 7), *primus condidit stili nasum*, i. e. „den Sinn für die feinen Unterschiede“, Leo, R. L. 426, 1. Proprietatem dicendi in eo et in Pomponio laudat Fronto (p. 62 N). *Nam praeter hos partim scriptorum animadvertas particulatim elegantis: Novium et Pomponium et id genus in verbis rusticanis ac ridiculariis, Attam in muliebribus, Sisennam in lascivis, Lucilium in cuiusque artis ac negoti propriis.* Longe aliter atque Horatius Lucilio laudi dant hi critici, quod totam varietatem latinae orationis, summa et infima amplectatur. Iudicium discriminum dicendi condidit arte (*eruditio in eo mira* Quint, X, I, 94), usu proprio, salibus saturarum.

Eadem fere gratia, qua Lucilius, qui apud Gellium est *vir adprime linguae latinae sciens* (XVIII, 5, 8), florebant Atellanae, quas Fronto excerpsit (p. 34 N), sed hae non solum propter proprietatem verborum rusticorum et turpium. Laudabatur in illis ars ex ambiguitate vel praeter exspectationem ridicule dicendi. Pomponius laudem urbanitatis disertis verbis sibi ipse vindicaverat (189 R, cf. Norden, de Stilone Cosconio Varrone grammaticis commentatio, index scholarum Gryphiswaldensis 1895 sem. aest. XI, 4). Dossenni ipsa persona scholastica effecit, ut immiscerentur, quae ad doctrinam pertinerent, rhetorissandi litterarumque plurimus usus, tragoediae in Atellanis mythicis plurimus risus. Sed et hic summa obscoenitas. Nam *Atellanus gesticulator repraesenta-*

bat, ut Tertulliani verbis utar (de spect. 17), *summam illam gratiam de spurcitia plurimum concinnatam.*

Arnobius, rhetor Africanus, ineunte tertio saeculo scripsit verbumque divinum alio loco (adv. nat. I, 58 sq.) defendit a reprehensione eorum, qui in triviali et sordido illius sermone, in barbarismis et soloecismis, offendebant. Quanta aut quantula fuerit in eo notitia scriptorum Lucilii, equidem nescio. Sed habet et alio loco reconditam quandam de eo doctrinam, consulto ita expositam, ut iterum illi attribuatur res spurcissima eleganti quadam proprietate dicendi enarrata. Verba (fr. 1339 = Arnob. V 18) sunt haud sine plurima obscuritate. *Ne expositionis contaminationibus polluamur, transeamus . . . sed et deos conserentes taceamus, quos cum ceteris scribit Flaccus in humani penis similitudinem versos obruisse se cineri.* Sequitur fabella de Servii Tullii generatione et conceptione, qua in narranda Lucilii verba afferuntur, quae quam late pateant non satis liquet: *Ocrisiam prudentissimam feminam divos inseruisse genitali, explicuisse motus certos. Tunc sancta et ferventia numina vim vomuisse Lucilii, ac regem Servium natum esse Romanum.* Multa hic obscura. Videtur Lucilius inter *ceteros* illos fuisse, quos Flaccus — utrum Granius an Verrius sit intellegendus parum patet, Funaioli G. R. F. I p. 435 — secutus rem narravit. Sed laudatur hic praeter omnem et perspicuitatem et consuetudinem genetivo apposito ita, ut hoc tantum appareat Arnobium consultó et hoc loco Lucilium laudare, cuius gracilitas et proprietas cum alibi tum in rebus spurcis a criticis illius aetatis pro norma fere iudicii est habita. Et hoc spectat Arnobius et illo alio loco multo plus, quam grammaticorum studia inania in scriptis aetatis discrimine remotis posita. „Vos, ut falsum a vero seiungatis, inquit, ut habeatis, unde iudicia vestra elegantiae hauriatis, fornicem Lucilianum memoriae traditis diligenter tuendum.“ Tetigit igitur Arnobius locum quendam, poëma quoddam, ut more Luciliano loquamur, proprietate vocum meretriciarum celeberrimum, fortasse illum, quem supra significavimus. Illic inter res lenonis et lupanaris interposita fuisse multa urbana, apparet lepido illo de quattuor elementis instituto ludo (784 sqq.).

Vix minorem difficultatem habet interpretatio Marsyae Pomponii, nisi quod recte eum inter Atellanas e fabulari historia petitas enumerat Kroll (Teuffels Gesch. der röm. Lit. I[6] 282). Nam quod Munkius (de fabulis Atellanis 87) Marsyae statuam Roma-

nam intellegit, meretricum conventu, si multis scriptoribus credimus, famosam illam, id inter ea, quae de Atellanarum titulis et argumentis et locis comperta nobis videmur habere, tam singulare et inauditum fere est, ut mirer A. Dieterichium (Pulcinella 102) eandem sequi sententiam. Longius ab omni veri similitudine recessit Hilberg, qui nobis persuadere conatur Marsyam in vim appellativam hic esse accipiendam atque dici pro lupanari, Pomponii poësin igitur nominari ab Arnobio cloacam obscoenitatis. Gravius forsitan dixeris esse illud, quod Marsyas Pomponii a nullo praeterea scriptore commemoratur. Sed et hoc nil valet in memoria Atellanae: „Von 67 Stücken ist nicht mehr als je ein kleines Bruchstück erhalten“, Ribbeck, Gesch. der röm. Dichtung I², 213, addo quod et plurima pars horum fragmentorum ex Nonii tantum fortuita mentione pendet. Nulla igitur hic vis est in argumento e silentio petito. Nolo quicquam de argumento huius fabulae hariolari. Sed qui consideraverit, quo studio et Pomponius in tragoedia, togata, palliata irridenda sit versatus, quomodo rusticum urbano opponat et ille (7, 189), minime mirabitur Pomponium Apollinis et Marsyae certamen de arte celeberrimum inter cetera argumenta ex fabulari historia petita dignum habuisse, quod ludo osco exsequeretur. Talia certe ut putemus ab illius arte aliena fuisse, maiora necesse est afferantur argumenta illis, quae adhuc simulata potius quam comparata esse videmus.

III.

Quod quaerimus in Petronio, id illustravimus in Lucilio, qui dicendi varietatem temperat cogitatione et ratione, amplectitur usu certi iudicii pleno, ridet insectatione saturae. Versamur enim in provincia, quae eadem est et philosophorum et poëtarum et grammaticorum et rhetorum. Ad hos igitur redibimus ita, ut quae ab aliis[40]) iam sunt tractata, paucis verbis percurramus.

Atque hic quidem solet ea, quae in elocutione primo loco ponitur *latinitas*, ad grammaticos reici breviterque absolvi. Hoc *traditur litteris doctrinaque puerili* (Cic. de or. III 10, 38). *Nemo enim unquam est oratorem, quod latine loqueretur, admiratus; si est aliter, irrident, neque eum oratorem tantum modo, sed hominem non putant* (ib. 14, 52). *Haec* (vitia soloecismi et barbarismi) *qua ratione vitare possumus, in arte grammatica dilucide dicemus* (Auctor ad Her. IV, 12, 17. Recte his verbis concludit Barwick (110) illis

40) Stroux ll. 13. Kroll, Studien zum Verständnis der röm. Lit. 87 sqq.

temporibus artem grammaticam Romanorum soloecismos et barbarismos inter sollemnes usuque acceptas partes tractavisse). *Sed ea, quae de ratione latine atque emendate loquendi fuerunt dicenda, in libro primo, cum de grammatice loqueremur, exsecuti sumus* (Quint. VIII, I, 2).

In latinitate autem cavendum est, ne aut in singulis verbis peccetur *(barbarismo)*, aut in coniunctione plurium verborum, quae ipsa recte ad naturam linguae latinae ficta sunt (*soloecismo*). *Atque ut latine loquamur, non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit, sed etiam .....* (Cic. de or. III, 11, 40). Idem spectat Auctor, nisi quod a soloecismi definitione incipit: *Vitia in sermone quo minus is latinus sit duo possunt esse, soloecismus et barbarismus. Soloecismus est, cum in verbis pluribus consequens verbum superius non adcommodatur* (Marx de genere dicendi affert III, 8, 15), *barbarismus est, cum † verbisalto vitiose efferatur* (IV 12, 17). Nam quo simplicior est sententia, eo difficilior verborum restitutio vetusta labe ideo puto perturbatorum, quod compendia scripturae, quae plurimum valuisse in memoria Auctoris Marxii prolegomenis (26) docemur, haud sine aliqua difficultate explicari poterant. Hoc si recte ponimus, verba facilia, prompta, expedita indaganda sunt, id quod re ipsa minime obscura commendatur. Traditur autem *verbisalto, verbusalto, verbum saltim*, quod in recentioribus codicibus nimis facili coniectura corrigitur in *verbum aliquod*. Cum soloecismi definitio antecesserit, desideratur hoc, ut plurium illorum verborum perturbationi opponatur vitium in singulis verbis positum. *Effertur* autem semper fere apud Auctorem *res, sententia verbis*, uno loco IV 30, 41 *dissolutum est quod coniunctionibus verborum e medio sublatis separatis partibus effertur*. Hoc, si recte divino, Marx spectasse videtur non minus quam litterae *S* post *verb* vestigia, cum in editione minore a. 1923 ederet *cum verbis aliquid vitiose efferatur*. Sed haec tam universe dicuntur, ut vix recte aut soloecismo opponi aut in definiendo barbarismo afferri possint. Accedit, quod nulla pluralis numeri ratio perspici potest, cum omnia contineantur singulis verbis.

Praestabit igitur scribere *cum verbo ipso aliquid vitiose efferatur*, vel potius, cum *aliquid* minime placeat, *cum verbis singulis oratio vitiose efferatur*. Cf. IV, 8, 11 *omnis oratio non vitiosa*; IV, 11, 16 *orationem puris verbis compositam*; IV, 12, 17 *Latinitas est,*

quae sermonem purum conservat ab omni vitio remotum. Sed videant alii, num felicius in his verbis desperatis procedant. Nos ad rem ipsam redibimus. Barbarismus Diogeni Babylonio est *λέξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν εὐδοκιμούντων Ἑλλήνων*, i. e. quod praeter consuetudinem eorum Graecorum, qui auctoritate praediti sunt, dicitur. Hanc auctoritatem optime et commodissime percipi posse ex lectione scriptorum apparet. Cicero in Bruto (74, 258) dicit Laelii Scipionisque temporibus locutionem emendatam et latinam dono quodam aetatis ipsius si non omnibus, at certe eis, qui neque extra urbem vitam egissent neque ulla barbarie domestica infuscati essent, contigisse. Postea autem cum multi inquinate loquentes ex diversis locis Romam convenerint, iam innocentiae tanquam tacito sensu perdito obrussam esse adhibendam ad sermonem expurgandum. Necessitate igitur norma elegantiae loquendi ex auctoritate illorum veterum, qui praeclare locuti sunt, est petenda (de orat. III 10, 39). *Omnis enim loquendi elegantia, quamquam expolitur scientia litterarum, tamen augetur legendis oratoribus et poëtis.* Hac igitur in parte elocutionis apte poterat (Stroux 14, 2) Theophrastus dicere (Quint. X, 1, 27) *plurimum oratori conferre lectionem poëtarum.* Sic et usu scholae professio grammatici in duas partes necessario coniunctas dividitur (Quint. I, 4, 2), in *recte loquendi scientiam et poëtarum enarrationem.* I, 6, 2 *Auctoritas ab oratoribus vel historicis peti solet.* Nam recte loquendi iudicium aut aurei saeculi naturaeque dote innatum tanquam est aut ex auctoritate optimorum scriptorum hauriendum. Accedit alterum. In barbarismo, qui non, ut soloecismus, in verbis, sed in litteris et syllabis falso minutis, auctis, transpositis, mutatis poni solet, plurimum valet pronuntiatio. Solet igitur arte tradi haec bipartitio: *Omnis barbarismus fit modis duobus, aut pronuntiatu aut scriptu*, e. gr. Pomp. V, 284, 29. Eodem modo Serv. IV, 444, 12; Don. IV 392, 8. In utramque partem trahitur variata vi ac sententia sollemnis quadripartitio. Hoc ex usu apud posteros tantum copiosius probato facillime intellegitur, quare Cicero hac in parte sit tam multus de pronuntiatione. In illa enim, quam supra post significatos barbarismos et soloecismos praecidimus sententia (de or. III, 11, 40), sic pergitur *sed etiam lingua et spiritus et vocis sonus et ipse moderandus . . . Nam de voce nondum ea dico, quae sunt actionis, sed hoc, quod mihi cum sermone quasi coniunctum videtur.* Quintilianus in octavo de pronuntiatione nil, plurima in primo, ad

quem legentium studia reicit, eodem, quo Cicero, loco artis, apud barbarismos (I, 5, 6 *quis hoc nescit alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo*). Sed habet Fabius in loquendo (I, 5, 17—33) diversam rationem quadripertitam, qua dividitur in divisionem, complexionem, adspirationem, sonum tam infeliciter, ut scriptor et ipse sibi parum constet et hic certe perspicuitatis nomine a ceteris artium scriptoribus multo superetur (cf. Colson ad I 5, 6); Cicero autem hoc artis loco incorruptam urbani sermonis proprietatem a rustica asperitate non minus quam a peregrina insolentia seiungit. Commemorat Crassus eos, qui rusticae vocis gravitate delectati rusticana pro priscis accipiunt et accipi volunt. Commemorat Laeliam socram incorruptae antiquitatis, ut plerumque mulierum genus, tenacem, sed minime rusticam. 46 *Qua re Cotta noster, cuius tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut iota litteram tollas et e plenissumum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari.*

Norden (de Stilone etc. X) illud de mulieribus vetustae pronuntiationis conservatricibus observatum iam a Platone Cratyl. 418 B proferri docet. Confert *lata* illa Cottae cum litteris a Cotta dilatatis (Brut 74, 259), cum Laberii mimo, qui *Late loquentes* inscriptus erat, cum plateiasmo Graecorum. Commemoratur *verborum latitudo* de or. II, 22, 91. Equidem fateor huius vocis usum tam universe efferri in rusticorum ratione urbanitati opponenda, ut vix plus elici possit quam ex famosissimis illis grammaticorum sonis aut pinguibus aut exilibus. Mihi quidem videtur illa eadem fere ratione, qua saepius germanice *platt*, dici in rusticorum vitio notando sine ulla soni ipsius significatione accurate percepta. In testimonio illo (VII, 35, 1 K) de Aufustii libro ad Asinium Pollionem misso vetustissimae doctrinae, Varronianae, si Usenero credimus (Rhein. Mus. XXIV (1869), 104), pleno *dilatari* dicuntur imperfecta talia, qualia *audiebam, veniebam.* Dicuntur igitur per epenthesin vel amplificationem quandam ex *audibam, venibam* orta esse. Sed in usu vocis hunc locum longe distare ab omnibus ceteris facile vides, hic revera dilatatur *i* in *ie*, sed illud vix a rusticis, sed potius ab urbanis poëtis. Vulgus retinuisse *ibam* ex prisca consuetudine loquendi romanicae linguae demonstrant. De *erudibam* apud Habinnam Petronii (68,6) cf. *de serm. vulg.* 47.

Ex usu ipso huius vocis igitur de pronuntiatione nil concludi posse contendo. Apud Ciceronem ne hoc quidem satis patet, utrum dicatur breve *ĭ* per illam nescio quam dilatationem in

e commutatum esse, id quod plurimis testimoniis veterum scriptorum et monumentorum et romanicarum linguarum consensu et natura probari posse scimus, an alia quaedam res intellegatur. Immo cum in veterum grammatica ea pars, quae est de phonetica, minoris etiam quam etymologia est pretii, suspicio est plurima, ne Cicero tangat obscuro quodam sensu discrimina quaedam in pronuntiatione litterae i inter rusticos et urbanos interposita. Nam illud ex ratione grammaticae artis huius aetatis petitum discrimen, quo syllabae accentu elatae distant a eis, quae alio loco pronuntiantur, aut illud, quo aliquantum interest inter *i* verum longum et alterum quoddam *i* ex diphthongo *ei* natum, ne tacito quidem sensu poterat intellegere, qui illa scripsit[41]).

In recto usu latinae linguae ratione et via a vitiis defendendo non minus quam rhetores grammatici versati sunt, aut ita, ut ex artis ipsius ordine *litteras, syllabas, partes orationes, vitia sermonis* comprehenderent, ut Varro in disciplinarum primo (cf. fr. 237 Fun.; Usener, Sitzungsber. bayr. Akad. philol. hist. Kl. 1892, 642, 3; Barwick 232), aut ita, ut peculiaribus libellis *de latinitate* agerent, ut idem Varro, cum *de sermone latino* scriberet. In singulis quomodo sit diversa horum generum ratio, quomodo sint illa ipsa aut Stoicorum aut Alexandrinorum de oratione sententiis nutrita, hic non habeo, quod iudicem. Paucis demonstrabo, quomodo ea, quae nobis proposuimus persequenda, Varronis stilo exarentur. In litterarum ratione quomodo a Lucilii orthographia recesserit, non satis apparet. Terentius Scaurus enim allatis illis versibus de *mille, milia, pila, pilo, pilis* verbis scribendis (358 M) sic pergit (VII, 19, 6 K): *quam inconstantiam Varro arguens in eundem errorem diversa via delabitur, dicens in plurali quidem numero debere litterae i* <*e*> *praeponi, in singulari vero minime* (fr. 272 Fun.). Profecto (VII, 32, 21 K) hac in re accedit ad Lucilii doctrinam, quod in verborum terminationibus *ei* plurali, *i* singulari attribuit: *docilis, docileis, aureis* (dat. et abl.) *aetheris* et *aureis, quibus audimus* apud Varronem, *puerei* (n.) et *pueri* (gen.) apud Lucilium. Sed qua in re posuerit inconstantiam criticus, parum accurate perspicitur. Nam ut nos contineamus illis verbis, quibus grammaticus adiungit commemorationem Varronis, aguntur apud Lucilium non terminationes centum locis ex analogiae lege repetitae, sed i litterae in singulis vocum radicibus ipsis haerentes, quarum rationem diversissimam

41) Locus solet haud sine aliqua dubitatione ad i breve revocari: Meister, Ind. F. XXVI, 77; Sommer, Handb.² 62,2; Stolz-Leumann 62.

esse ab illis in desinentibus vocibus annexis *-is*, *-i* neminem potuit effugere. Hic recessit a Lucilio Varro, cum ad seiungendos scribendi ratione similes vocum sonos in aliis vocalibus apicem, in i I longum iuberet adhiberi. De Lucilii interpretatione hac in re difficili supra egimus. Si quidem verba

si plura haec feceris pila
quae iacimus, addes e, peila ut plenius fiat

ita sunt intellegenda, ut Lucilium et hic ex rebus pluribus deducat rationem diphthongi *ei*, poterat iure et merito quaeri, nonne ad normae huius constantiam essent omnes voces in singulari per *i*, in plurali per *ei* scribendae. *Diversa via*, i. e. in terminationibus, eandem sententiam secutus est Varro, quam falsam putat grammaticus. Sed in summa rei obscuritate etsi neque habeo, quod obstare videatur neque quod eodem iure possit interpretationis nomine proferri, tamen nescio, num haec sint e vera sententia et Varronis et Terentii Scauri expressa [42]).

Vix minor est difficultas in normis latinitatis ex Varronis sententia constituendis. *Constat enim* (latinitas), *ut adserit Varro, his quattuor, natura, analogia, consuetudine, auctoritate.* Grammaticus (Diomedes I, 439, 15 = fr. 268 Fun.) pergit ita, ut singula saepe ad verbum conveniant cum verbis Charisii I, 50, 16 sqq., quae Barwick (183) ad Pansam revocare conatus est. Apud utrumque *natura* illustratur hoc modo: *nam si quis dicat scrimbo pro eo quod est scribo, non analogiae virtute, sed naturae ipsius constitutione convincitur. Analogia sermonis a natura proditi ordinatio est neque aliter barbaram linguam ab erudita quam argentum a plumbo dissociat. Consuetudo ideo solum recepta, quod multorum consensione convaluit, ita tamen, ut illi artis ratio non accedat, sed indulgeat. auctoritas in regula loquendi novissima est. namque ubi omnia defecerint, sic ad illam quemadmodum ad ancoram (aram sanctam* Char.*) decurritur. Non enim quicquam aut rationis aut naturae aut consuetudinis habet, cum tantum opinione secundum veterum lectionem recepta sit nec ipsorum tamen, si interrogentur cur id secuti sunt scientium;* ultima paulo aliter apud Charisium: *tantum opinione oratorum*

42) Cf. Usener, Rhein. Mus. XXIV (1869) 104. Henricus Keil in praefatione Terentii Scauri VII, 9 sq. Lindsay-Nohl 11. Varronem non minus quam Lucilium imaginem litteratura expressam nescio quo vinculo cum vi ac sententia vocis litteris reddendae coniungere apparet famoso illo loco (de l. l. V 117), ubi in *valli* vocis etymologia illustranda figuram litterae V pro ratione affert.

recepta est, qui et ipsi cur id secuti essent si fuissent interrogati, nescire se confiterentur. De ratione inter hos duos locos interposita iudicat Barwick (174) ita, ut dicat Diomedem 439, 15—30 et Charisium 50, 25—51, 12 ex Pansa fluxisse, cuius doctrinam et stilum idoneis, puto, ductus argumentis sibi videtur in partibus cum hac de latinitate praefatione apud Ch. coniunctis invenire. Diomedem autem putat duobus locis (habet enim in initio sententiam, quae desideratur apud alium: *latinitas est incorrupte loquendi observatio secundum Romanam linguam*, tunc pergit *constat autem, ut adserit Varro*, cum Charisius habeat: *constat ergo* omisso illo gravissimo de Varrone testimonio) plura ex communi fonte sumpsisse.

Me tenet multo plus quam Diomedis et Charisii hac in parte ratio illud, quod tota illa apud Charisium de latinitate praefatio aperte non est *simplex et una.* In medio collocatur illa de quattuor latinitatis normis disputatio, quae eadem apud Diomedem affertur ita, ut Varronis nomen addatur normis ipsis certe, quae postea explanantur. Sunt apud Charisium, quae antecedant, sunt quae sequantur. In illis agitur de *latino sermone cum ipso homine suae civitatis nato*, illo postea *supervenientibus saeculis sollertiae nostrae observationibus capto*, de *rationis* vi, *quae adeo cum ipsa loquella generata est, ut hodie nihil de suo analogia inferat.* Tunc pergitur tanquam ex artis ordine ita, ut ab illa enumeratione denuo incipiatur: *Constat ergo.* De duabus ultimis normis nondum dictum erat, de *naturae* et *analogiae* vi singula quaedam prolata erant. Nunc explicantur duae priores denuo, duae posteriores primum. Absoluta autem quarta norma una cum exeunte illa parte Charisio et Diomedi communi denuo ad *consuetudinem* reditur ita, ut nova quaedam res adiciatur. Cum enim supra consuetudo contineat omnia ea, quae, licet a ratione abhorreant, tamen multorum consensione probantur, nunc *sordida* ac *vulgaris consuetudo abicitur,* ea solum recipitur, quae *sono blandiore horridiorem rationem superat* [43]. Hanc vim habere *suavitatem* in *consuetudinis* provincia

43) I, 51, 14 *Interdum enim utilibus iucunda gratiora sunt. adsiduitas et consuetudo verba quaedam vel nomina usque ad persuasionem proprietatis sufficient, si tamen eadem non aspere per analogiam enuntientur, alioquin rationem mallem quam assiduitatem.* Barwick, cum trahat cum ceteris interpretibus conditionem *(si tamen)* ad priora, recte dicit *non* esse constantiae sententiae gratia delendum. Mihi videtur vix apte illi sententiae universe de vi consuetudinis prolatae adiungi *si tamen.* Illa fuerunt ex memoria artis petita, haec sunt critici illius, qui pecu-

nullo modo illa definitione antea prolata poterat exspectari. Haec qui reputaverit, facile sibi persuadebit praecepta quaedam de latinitate proferri atque praefatione praemissa, conclusione adiecta non tam verborum numero exaugeri, quam in sententiis ipsis multis a partibus variari atque exornari. Equidem nil video, quare illa in medio posita Varronis, cui Diomedis testimonio attribui videntur, esse negemus.

In latinitatis normis constituendis non nihil valuisse famosam illam de analogiae et anomaliae in oratione partibus disputationem constat. Sed nostri propositi hic non est, quaerere, quomodo Stoicorum *anomalia*, qua illi, ut sunt rationis inter rem significatam et significationem interpositae studiosi, primum quidem complectebantur (Varro de l. l. IX, 1) *similes res dissimilibus verbis et dissimiles similibus vocabulis notatas*, quomodo igitur illa anomalia tandem potuerit a primitiva sententia ita deflecti, ut posset Alexandrinorum *analogiae*, quae ad leges in nominibus et verbis flectendis constituendas spectabat, omnino opponi. Neque hic quaerimus, quantum horum praeceptorum aut Alexandrinis aut Stoicis debeatur, neque illud, quomodo in singulis grammatici quattuor illas normas variaverint, cum aut remota *natura* adderent *vetustatem*, cum *rationi* subicerent duas partes, *etymologiam* et *analogiam*. Pauca afferimus, quae nondum ea, qua par est, perspicuitate elata esse videmus. Si quidem Varronem Usener recte dicit latine vertisse Graecorum *etymologiam*, *analogiam*, *dialectum*, *historiam* (Münchener Sitz. Ber. ll. 622), vix dubitari potest, quin Varro *naturae* nomine non comprehenderit simplicem usum cotidiana oratione oblatum, qui potius *consuetudine* illa, quae invita ratione nonnunquam ex multorum consensu arrogatur, tangitur. Immo subintellexit originationem, qua veram naturam vocis patefieri posse confisus est. Iam Usener contulit locum de l. l. X, 15, quo *naturae* opponitur *voluntas* eius, qui rei *nomen imponit*. *Scrimbo* qui dicit, *convincitur non analogiae virtute, sed naturae constitutione*, i. e. non fortuito usu, sed memoria orationis ab alio ad alium integra tradita atque *φύσει* tanquam sine ulla lege analogiae cum aliis eiusdem radicis vocibus connexa. *Refellendi* vocem in simili causa apud Lucilium offerri vides. In arte enim libro nono interposita haec:

---

liare suum ex suavitate petitum praeceptum dat. Nescio igitur, an possit rectius coniungi *non* illo servato: *Si tamen eadem non aspere per analogiam enuntientur alioquin, rationem mallem quam adsiduitatem.*

349 *labora*
discere < rem >, ne res te ipsa ac ratio ipsa refellat.

Ut apud Ciceronem, qui Lucilii aetate innocentiam quandam naturae fuisse in recte loquendo putat, cui sane sententiae illa ipsa aetas vehementissimo suo studio orationis legibus temperandae perspicue obloquitur, ita et huic subest disputationi opinio illa, quasi quae fuerunt ab initio pura atque naturae ipsius dote emendata, postea saeculorum damno barbarorumque in civitatem irrepentium vitio sint detorta. Auri, argenti, nummorum imago in hac in peius commutatione sollemnis. Pristinam si omnes retinuissent integritatem, nil haberent aut rhetores aut grammatici, quod in elegantia sermonis corrigerent. Gravissimum autem illud, quod *auctoritas* ad oratorum et rhetorum studia *lectionis* revocatur. Lectionem ipsam hac in parte commendari a Cicerone vidimus.

Inde ab initiis grammaticae et rhetoricae Romanae de soloecismorum et barbarismorum vitiis via et ratione agebatur. Ad Lucilii tempora proxime qui aetate accessit Aurelius Opillus tetigit soloecismum, quem, ut alii illius aetatis, *stribiliginis* voce a pravitate tortuosae orationis dicta significabat (fr. 17 Fun.; Schepss l. l. 28). Cicero illo loco supra allato (de or. III, 11, 40) satis apte soloecismi vim amplectitur: *ut verba sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit.* Augusti temporibus Sinnius Capito in *epistola, cui titulus praescriptus erat: pluria, non plura dici debere, rationes grammaticas posuit, per quas docuit pluria latinum esse, plura barbarum.* Est igitur hic barbarismus, ut ex artis ratione loquamur, *detractionis* (Gell. V, 21, 6 = fr. 1 Fun.). Soloecismum autem, quem maluit *imparilitatis* vocabulo appellare, dicebat esse *imparem atque inconvenientem composituram partium orationis*, id quod vix a sollemni omnium auctorum sententia recedit (Gell. V, 20, 1 = fr. 2 Fun.). Inter eos, qui fuerunt usque ad Petronii aetatem, Caesares neminem invenias, quin aliqua ex parte grammatici officia a Divo Iulio hereditate acceperit. Sed paucis hic percurrimus Augusti festivam in scribendo et loquendo levitatem, Tiberii, qui artem callebat, qua verba expenderet (Tac. ann. XIII, 3), de verbis aut fugiendis aut captandis religiones et scrupulos, Caligulae in scriptoribus aestimandis vesaniam, Claudii morosam in litteris inveniendis doctrinam, Neronis ad poëticam pronum ingenium.

Tiberii aetate coeperunt clari haberi, ut hos tantum ex numero grammaticorum eligamus, Remmius Palaemo et M. Pomponius Marcellus. De hoc Suetonius de illustribus grammaticis disserens haec (22): *Marcellus, sermonis latini exactor molestissimus, in advocatione quadam — nam interdum et causas agebat — soloecismum ab adversario factum usque adeo arguere perseveravit, quoad Cassius Severus interpellatis iudicibus dilationem petiit, ut litigator suus alium grammaticum adhiberet, „quando non putatis cum adversario de iure sibi, sed de soloecismo controversiam futuram.“ hic idem, cum ex oratione Tiberium reprendisset, affirmante Ateio Capitone et esse illud latinum et, si non esset, futurum certe iam inde, „mentitur“ inquit, „Capito, tu enim, Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbis non potes“. pugilem olim fuisse Asinius Gallus hoc in eum epigrammate ostendit:*

qui „caput ad laevam“ didicit, glossemata nobis
praecipit: os nullum vel potius pugilis!

Quanto omnes fuerint illa aetate elegantiae dicendi studiosi et soloecismorum et barbarismorum religione capti, animis fingemus, cum Iuvenalis verbis doceamur ex Palaemonis arte eam partem, quae fuit de soloecismis, doctis feminis inprimis curae fuisse:

VI 451 *odi*
hanc ego quae repetit volvitque Palaemonis artem
servata semper lege et ratione loquendi,
ignotosque mihi tenet antiquaria versus
nec curanda viris opicae castigat amicae
verba: soloecismum liceat fecisse marito,

quibus in verbis ultimis nemo est quin meminerit illius facetissime in simili causa a Martiale dicti XI 19:

Quaeris, cur nolim te ducere, Galla? Diserta es.
Saepe soloecismum mentula nostra facit.

Ad huius epigrammatis interpretationem ut redeamus, alio loco nostrae disputationis postea commovebimur.

Et Petronium unicum fuisse ab his rebus alienum putabimus, illum artis rhetoricae et grammaticae studiosissimum? Sed hoc quod quaereremus omnino non haberemus, si unquam illius in plebeio sermone imitando posita studia fuissent aestimata ex illius aetatis de orationis virtutibus et erroribus praeceptis. Tan-

dem ergo longum quaerendi spatium pervagati pervenimus ad illud, quod nobis proposuimus, ut intellegeremus, qua ratione in Petronii litteris commixta atque coniuncta esset eruditio ex arte Romanorum grammatica et rhetorica petita cum usu eorum scriptorum, qui similia ante eum sunt aggressi, utque ex recessu atque umbra omnium harum rerum privatum ingenium satirographi clarius appareret. Atque haec quidem capite quarto persequemur. Tertium autem absolvemus ita, ut quae Petronii temporibus de vitiis sermonis trivialis consuetudinis usu omnibus accepta fuisse videntur, parvula quadam arte compendiosa comprehendamus. Iam Lucilii temporibus copiosissime hae res tractatae erant ita, ut in singulis vitiis notandis nomina, vocabula artis usui essent. Nihilo minus iniquitate fortunae factum est, ut ad posterorum opera reiciamur. Sed non est, quod de veterum doctrina restituenda desperemus. Omnes enim illae posterorum artes plurima similitudine coniunguntur in summa ipsa rerum, discrepant singulae inter se in quibusdam, quae ad definitionem et dispositionem spectant. Sed haec sunt a proposito nostro aliena. Equidem spero neminem rei ipsius peritum negaturum esse haec fere, quae praecipue ad Palaemonis quam putat Barwick esse artem delineavimus (Char. IV 265, 23 — 266, 14; 267, 23—270, 21), sine ulla dubitatione reici posse ad doctrinam temporibus Neronis vulgatam omnibusque probatam [44]).

§ 1. De barbarismo et soloecismo.

Barbarismus a soloecismo hoc distat discrimine, quod ea, quae praeter iustam normam latini sermonis dicuntur, apud illum posita sunt *in singulis partibus* orationis, apud hunc autem voces singulae quidem a ratione latina non abhorrent, *coniunctae vitiosam rationem* habent. Quae peccantur, utroque loco revocari possunt aut ad *adiectionem* aut ad *detractionem* aut ad *immutationem* aut ad *transmutationem*. Sed adduntur, demuntur, mutantur, transponuntur illic, in barbarismo, litterae et syllabae, hic, in soloecismo, voces. Barbarismis et soloecismis respondent a parte poëtarum meta-

44) Charisius I, 265 sqq.
Pompeius V, 283 sqq.
Consentius V, 386 sqq.
Donatus IV, 392 sqq.
Comm. in Don. IV, 443 sqq.
Explan. in Don. IV, 563 sqq.
Diomedes I, 451 sqq.
Sacerdos VI, 449 sqq.
Audax VII, 361 sqq.
Iulianus V, 323 sqq.

plasmi et schemata. Quae hic consilio et ratione ornatus vel metri gratia instituuntur atque auctoritate lectionis probantur, ea illic peccantur imprudenter sine ulla aut veterum aut consuetudinis auctoritate.

§ 2. De barbarismo.

Adicitur per prothesin littera: *coperit* pro *operit*, syllaba: *tetuli* pro *tuli*, vel alio loco: *Mavortis* pro *Martis*. *Ossua* pro *ossa*.

Detractione litterae fit barbarismus, ut *nutribam* pro *nutriebam*, syllabae: ut *temnere* pro *contemnere*. Damnum fit litterae in *pretore* pro *praetore*, syllabae in Verg. Aen. IV 527 *somno positae sub nocte silenti*, ubi debebat dici *compositae*.

Mutantur litterae: *olli* pro *illi*, *arvenire* pro *advenire*.

Transmutatio cernitur eis locis, quibus iustus ordo aut litterarum aut syllabarum perturbatur, veluti in Vergiliano illo *pinguiaque in veribus torrebimus exta colurnis* (Georg. II 396), cum sit *corulus* arbor, itemque in his exemplis: *displicina* pro *disciplina*, *interpertor* pro *interpretor*, *coacla* pro *cloaca*, *leriquiae* pro *reliquiis*.

Sed fit et barbarismus praeter scriptam rationem pronuntiatione, cum aut producitur quod debebat corripi (*Italiam fato profugus*) aut corripitur, quod debebat produci (*unius ob noxam)*, cum aspiratur perperam *(chommoda*, *homnia* pro *omnia)*, cum aspiratio neglegitur *(umus* pro *humo)*, cum in accentu efferendo peccatur. Ad barbarismos pertinent denique quae praeter facilitatem et suavitatem soni pronuntiantur, ut cacosyntheta in singulari natura quarundam litterarum posita, hiatus vocalium, odiosae eiusdem soni repetitiones.

Primitiva vis nominis elucet, cum et barbararum vocum, i. e. vocum ex peregrinarum gentium oratione petitarum, usus huic parti subicitur. Solet hoc vitium ab auctoribus artis peculiari nomine barbarolexis vel barbaros lexis appellari.

§ 3. De soloecismis.

In barbarismo singula verba ipsa spectantur, soloecismo significatur plurium verborum non conveniens iunctura. Soloecismus quoque fit modis quattuor, *adiectione*, *detractione*, *immutatione*, *transmutatione*.

A Adiectione,

cum supervacaneum quid verborum orationi adicitur, veluti per geminationem abnuendi, si dicas *nunquam nihil peccavi*, cum de-

beat dici *nunquam peccavi*, quoniam duae abnutivae unam confirmativam faciunt, cum iungis praepositiones nominibus civitatum: *ad Romam*, cum addis comparativo *magis*, ut *magis doctior*.

B Detractione,

ferina cum dicitur pro *ferina carne*, aut omissa praepositione *silvis* pro *in silvis*, *Italia venio* pro *ex Italia venio*.

C Immutatione,

quae est longe copiosissima omnium partium.

a: Ponuntur pro aliis partibus orationis aliae, veluti nomen pro adverbio *(honestum loquitur* pro *honeste)*.

b: Iusta parte orationis servata peccatur per accidentia:

α: per qualitates:

αα: nominum, *proprium* pro *appellativo*,

ββ: verborum, *infinitum* pro *finito*,

γγ: adverbiorum, veluti *intus eo*, *intro sum*,

δδ: praepositionum, veluti *ad quem* pro *apud quem*, *apud amicum eo*.

β: per genera:

αα: nominum, *fem.* pro *masc.*, *masc.* pro *neutro: collus*, *caelus*,

ββ: verborum, *pass.* pro *act.*, *act. pro pass.*, *luctat*, *bellantur*.

γ: per numeros: *plur.* pro *sing.*, *pluralia tantum singulariter*, *singularia tantum pluraliter*, *valete* dicitur in uno.

δ: per casus:
Verg. Aen. I, 573 *urbem quam statuo vestra est*,
Romae eo, cum dicis *fontis* in nominativo.

ε: per personas.

ζ: per modos: *indicat.* pro *coniunct.*, veluti
Verg. Aen. V, 542 *quamvis solus avem caelo deiecit ab alto*,
aut *indicat.* pro *imperativo*, ut *itis* pro *ite*.

η: per tempora: *praesens* pro *futuro*.

ϑ: per comparationem.

D Transmutatione,

cum postponis, quod debebas primo loco dicere, aut primo loco ponis, quod debebas postponere, veluti *autem venit*,
Verg. Aen. V, 370 *solus qui Paridem solitus contendere contra*.

Apud Graecos auctores[45]) eadem doctrina his fere verbis effertur:

I

Βαρβαρισμός ἐστιν ἁμάρτημα ἐν μιᾷ λέξει περὶ τὴν παρ' ἑκάστοις συνήθειαν. γίνεται δὲ κατὰ τρόπους τέσσαρας, ἔνδειαν, πλεονασμόν, μετάθεσιν, ἐναλλαγήν.

1. *κατὰ ἔνδειαν: πεποίηκαν ἀντὶ τοῦ πεποιήκασι.*

2. *κατὰ πλεονασμόν: κοιμᾶσαι* (in secunda passivi) *ἀντὶ τοῦ κοιμᾷ.*

3. *κατὰ μετάθεσιν: κότραφος ἀντὶ κρόταφος, δρίφος ἀντὶ τοῦ δίφρος, Μιτυληναῖος.*

4. *κατ' ἐναλλαγήν: εἰλάμην ἀντὶ τοῦ εἱλόμην, κίσηλις, δέον εἰπεῖν κίσηρις.*

Γίνεται δὲ καὶ ἐν γραφῇ (τὴν νείκην) καὶ περὶ τόνους καὶ πνεῦμα (αὔριον ἀντὶ τοῦ αὔριον). Βαρβαρίζουσιν δὲ καὶ οἱ ὅλως ἐκφύλοις ταῖς λέξεσιν ἢ καθόλου ὑπηλλαγμέναις χρώμενοι.

II

Σολοικισμός ἐστιν ἡμαρτημένη λέξεων σύνθεσις παρὰ τὴν παρ' ἑκάστοις συνήθειαν.

1. *κατὰ ἔνδειαν: ἔρχονται πεδίοιο.*

2. *κατὰ πλεονασμόν: ἐξ οὐρανόθεν.*

3. *κατ' ἐναλλαγήν:*

A. μέρος λόγου ἀνθ' ἑτέρου: ὄνομα ἀντὶ ῥήματος, ἄρθρον ἀντὶ ἀντωνυμίας, ἐπίρρημα ἀντὶ προθέσεως.

οἴσει δινήεις εἴσω ἁλὸς εὐρέα κόλπον.
ἠπείλησεν μῦθον, ὃ δὴ τετελεσμένος ἐστίν.

B. ὅταν τὰ συμβεβηκότα τοῖς τοῦ λόγου μέρεσιν εἰς ἄλληλα ἐναλλάσσηται.

α) ἀριθμός: Αἴαντε δ' ὁρμήσαντες ἐκ ξυνωρίδος, τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί.

β) πτῶσις: Τρωσὶ μὲν ἡγεμόνευεν.

γ) γένος: κίονα μακρήν, τέκνον φίλε.

δ) συγκρίσεις: ὠκύτερος πάντων.

ε) παθητικὸν καὶ ἐνεργητικόν:
ἐγάμησε Ἑλένη τὸν θεοῖς στυγούμενον,
ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι, πόλεις εὖ ναιεταώσας.

---

45) Polybius de barb. et sol. (Lex Vindob. rec. Nauck 283 sqq.). Anonymus de barb. et sol. (ib. 290 sqq.). Herodianus de sol. et barb. (ib. 294 sqq.). Ammonius ed. Valckenaer 176—187.

ζ) π ρ ό σ ω π α: σοί τ᾽ ἐπιπείθονται καὶ δεδμήμεσθα ἕκαστοι.
η) ἐ γ κ λ ί σ ε ι ς:
ἵνα εἴδομεν, μὴ ἴομεν, οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι.
ϑ) χ ρ ό ν ο ι: γαμεῖ δ᾽ ὁ μὲν δὴ Τυνδάρεω κόρην μίαν,
ἀντὶ τοῦ ἐγάμησε.
ι) π ρ ο ϑ έ σ ε ι ς: ἁμαρτάνουσιν περὶ τὴν κοινὴν ὁμιλίαν πολλοί· ποῦ ἐστιν ὁ πατήρ; εἰς βαίταν.
κ) σ ύ ν δ ε σ μ ο ι: ἐάν τις τῷ μὲν τὸ δὲ μὴ ἐπενέγκῃ, οἷον
Τρωσὶν μὲν προμάχιζεν Ἀλέξανδρος θεοειδής,
παρδαλέην ὤμοισιν ἔχων καὶ κάμπυλα τόξα.
λ) ἐ π ι ρ ρ ή μ α τ α: καὶ εἴσω δόρπον ἐκόσμει,
ἔγγυθεν ἱσταμένη,
πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων.
4. κατὰ μ ε τ ά ϑ ε σ ι ν:
θυγάτριον, ἡ νῦν ἡμέρα δίδωσί μοι
ἢ δόξαν ἤτοι διαβολήν.
ἐχρῆν γὰρ ἤτοι δόξαν ἢ διαβολήν.

Noluimus continuum ordinem artis illius, quam delineare conati sumus, perturbare interpellatione privatorum iudiciorum. Sed pauca necesse est nunc adiciantur ad illustrandam artis grammaticae hac in re rationem et vim. Atque primum quidem nemo est, quin videat infelicissime hac in provincia illam quadripertitam ratiocinationem institui, ex qua nil veri fructus poterat percipi. Quantum enim in barbarismis lucri capiemus ex doctrina ea, qua ad adiectionem vel detractionem eis locis reicimur, ubi ratio inter verbum simplex et compositum, reduplicatio. vetustae formae posterorum consuetudinem dicendi aliqua amplitudine superantes aguntur! Ratio horum exemplorum adeo diversa est, ut nullo modo possit ad unam eandemque normam referri. Immutatio autem tam late patet, ut vix quicquam sit, quod non aliquo iure possit hac voce comprehendi. Transmutatio in barbarismis paulo maioris pretii est, cum hic animi legentium tacito quodam sensu perceperint singularem naturam litterarum *r* et *l* minime in locis suis tuendis constantium. Pronuntiationem et suavitatem soni plurimum valere in barbarismo iam Lucilii et Ciceronis verbis apparet. Grammatici in hac parte dispositioni subicienda parum feliciter laboraverunt. Cum pronuntiationi opponatur ab altera parte orthographia, nescio an aptius rem instituerint ita, ut primum quidem oratio ipsa ex barbarismi periculis aestimaretur, tum

adderentur quaedam, quae aut orthographiae tantum legibus, in quibus Lucilius est multus, continerentur aut ad pronuntiationem vivae vocis pertinerent.

Eodem fere modo iudicabimus de soloecismi doctrina, nisi quod hic provincia immutationis in singulis haud inepte illustratur.

Licet quattuor normae ipsae et hic sine ullo vero pretio sint in natura orationis aut verae aut falsae perspicienda, tamen ex singulis exemplis bene illustratis non modo discentium usum potuisse corrigi, sed et nonnullos eo perduci, ut consuetudinem scribendi et loquendi aliquo studio et aliqua ratione persequerentur, facile credo. Una in parte video haud sine aliqua ratione exempla vitiorum illustrari atque apte coniungi, dico illa in artis memoria trita atque inde a Lucilii temporibus sollemnia praecepta de *apud* — *ad*, *intus* — *intro*, *ubi* — *quo*. Omnibus fere ceteris locis ineptis titulis atque nominibus dilacerantur, quae ex eadem consuetudine orationis fluunt, coniunguntur, quae nullo vero vinculo cohaerent. Risum fere movent, quae de poëtarum et pedestrium scriptorum diversa ratione edicuntur. Exempli loco afferatur Pompeius (V 292, 16 K): *si sciens fecerit, erit schema, si nesciens fecerit, erit soloecismus. qua ratione? puta* (Verg. Aen. I, 212) *„pars in frusta secant“: diximus in metaplasmis et barbarismis, quod haec sit discretio, ut, si stat versus etiam sine illa necessitate, ut barbarismus sit, si autem non stat, nisi vitium feceris, metaplasmus est. in hoc loco quid dicemus? pars in frusta secant et pars in frusta secat, et ita et ita stat versus. unde apparet, quoniam adfectavit novitatem, nefas est autem de isto tanto viro credere per imperitiam hoc fecisse, non per scientiam adfectasse novitatem. ergo sola discretio inter vitium et virtutem scientia erit* e. q. s. in eiusdem loquacitatis flumine.

In ea, quae inter poëtarum metaplasmos et figuras et solutae orationis barbarismos et soloecismos constituitur ratione, poterant artium scriptores suo iure ex poëtarum usu exempla horum vitiorum sumere. Consentius, qui hanc confusionem reprehendit (V 391, 25 sqq.), promittit se ex usu cotidie loquentium allaturum esse sua exempla, sed est, ubi in eandem illam vituperatam rationem illabatur, atque insuper non omnia de suo proferre evincitur eo, quod habet quaedam cum eis, qui ante eum scripserunt, communia (Barwick 36). Quam facile hic plus, quam debet, eliciatur ex verbis grammaticorum, uno haud ita levi exemplo docebo.

De Consentii enim arte disputat Helene Kohlstedt[46]) cum aliis locis egregie, tum in eo, quod famosam illam *exilitatem* et *pinguitudinem* grammaticorum vix ullius pretii esse in phonetica illustranda demonstrat. „Sonus pinguis und sonus exilis sind, abgesehen von vereinzelten Angaben . . ., nicht phonetische, sondern aesthetische Qualifikationen. Diese sind von zwei Gesichtspunkten aus zu betrachten, die von den Grammatikern neben- und durcheinander angewandt werden: 1. Der musikalische Wert. 2. Der richtige Sprachgebrauch" (p. 39). Sed illa uno certe loco labitur nimia doctrina. Consentius enim duobus locis, ut barbarismum in adiectione litterae institutum illustret, affert exempli nomine *coperit* pro *operit* 387, 36 et 392, 1. Apparet vituperari illum usum plurimis posterorum exemplis probatum, quo hac in voce pro simplici verbo compositum effertur. Ex ingenti multitudine affero haec, quae sunt Vulgatae: Marc. XVI, 5 *iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida.* Matth. XXV, 36 *nudus, et cooperuistis me.* Psalm. XLIII, 20 *cooperuit nos umbra mortis.* Hanc rem simplicissimam, quae continetur compositis in vulgari ratione debilitatis atque omni peculiari vi privatis, perturbat femina docta, cum affert illud, quod in nonnullis linguis romanicis ad exemplum coperiendi fingitur pro aperiendo operire, *couvrir — ouvrir.* „Die Notiz des Cons. weist nur auf die Verwechslung der Formen hin; für ihn ist *coperio* nicht mehr gleichbedeutend mit *operio*" (51). Immo hac ex re initium praecipiendi sumit, et omnia illa alia ab illius cogitatione sunt alienissima neque illius verbis *„ut si quis dicat coperit pro operit"* subintellegi possunt.

Finem huius capitis instituemus ita, ut Martialis exemplo demonstremus, quomodo grammaticorum et rhetorum praecepta omnes illis temporibus vehementer commoverint:

VI, 17 *Cinnam, Cinname, te iubes vocari.*
Non est hic, rogo, Cinna barbarismus?
Tu si Furius ante dictus esses,
Fur ista ratione dicereris.

Peccatur igitur detractione litterarum in novissima vocis parte *„per apocopen, id est abscisionem, ut volup pro voluptate et ut si accusativo sine m littera domu dixeris"* (Diomedes I, 452, 26 K).

V 38. Hic agitur molesta condicio Calliodori, qui solus habet

46) Das Romanische in den Artes des Consentius, Diss. Erlangen 1917.

censum equestrem, sed idem et fratrem, cui si cedit dimidium, amittit dignitatem.

unus, cum sitis duo, Calliodore, sedetis[47]).
surge: soloecismum, Calliodore, facis.

Peccatur in numero, qui est in classe immutationis inter accidentia.

Multo minus facete, ut ceteris locis, expressa sunt epigrammata aut Lucillii, qui temporibus Petronii scripsit, aut Ammiani de eadem materia A. P. XI, 138, 143, 146, 148 (Schepss, l. l. 31).

IV

Tandem eo pervenimus, ut habeamus, unde in Petronii imitatione ingenii naturam, doctrinae fructum, litterarum usum et memoriam aestimemus. Atque hic quidem percommode illud accidit, quod praesto sunt Quintiliani de his rebus praecepta et proposita. Ad haec igitur Petronii usum revocabimus, ut eluceat, quantum et quid fructus percipere potuerit ex artis consuetudine, quibus in rebus suo Marte pugnet, quibus locis a diversis partibus et consiliis eandem, atque grammatici et rhetores, materiam persequatur. Quintilianum scimus nunc nullius addictum iurare in verba magistri, quicquid harum rerum videbatur utile esse ad instituendum oratorem, in suos XII libros contulisse ita, ut neque nudam artem grammaticam proferret neque aut de latinitate aut de orthographia dissereret, sed ut potius copiosarum litterarum et diuturni usus auxilio fretus de suo imaginem doctrinae grammaticae in usum rhetoris futuri depingeret. Quantum in singulis aut Varroni aut Verrio Flacco aut Palaemoni aut Probo aut Plinio aut Graecis denique auctoribus debeat, hic non nostrum est persequi. Nam nemo dubitat, quin Quintilianus non sit numerandus inter illud imitatorum servum pecus, quod anxie et religiose sine ullo vestigio privatae opinionis vel singulis verbis exempli exhausti adhaeret. Sed cum Quintilianus, qui nonagesimo fere p. Chr. n. anno in his rebus versatus est illustrandis atque publico usui patefaciendis, neque eis, qui proxime antecesserant, annis habuerit, quos in arte grammatica sequi posset auctores, et in barbarismo et soloecismo tractando

47) Quam interpungendi ratione indicavi interpretationem, eam cum natura ac necessitate desiderari iam cognovissem inveni iam a Gustavo Friedrich esse prolatam Philol. LXVIII (1909) 100. Editores interpungunt post *sitis; duo sedebis* mutata ultima voce Markland, Lindsay, Heraeus.

disertis verbis profiteatur se in argumento tritissimo[48]) omnibusque vel in singulis divisionibus tam noto versari, ut venia fere a legentibus sit petenda, minime a vero aberrabimus, ubi Petronio non solum Quintilianea illa, sed multo plura, quae fortunae invidia noluit ad nos pervenire, praesto fuisse contendemus.

Praeter ea, quae in primo libro afferuntur, apparet adhibenda esse ea, quae Quintilianus de figuris grammaticis verborum in noni tertio capite docet. Ipse enim utroque loco[49]) rem ita institui iubet. Artium enim consensu scimus figuras apud poëtas respondere soloecismis in soluta oratione. In hoc discrimine illustrando Fabius, licet sint permulta, quae aut desideres aut aliter efferri velis, habet multo plus elegantiae, quam artium scriptores posteri.

In primo igitur Quintilianus, postquam de infantiae aetate, de nutricum et paedagogorum officiis egit (I—III), ad grammaticae usum accedit. Atque primum quidem sequitur artis ordinem in eo, quod praemisso prooemio de grammaticae vi (IV, 1—5) primum quidem de litterarum numero, vi, divisione, cognatione, mutatione agit (IV, 6—17), syllabas leviter tactas in alium locum disputationis propositae reicit (IV, 17), in partibus orationis numerum, divisionem, vim demonstrat (IV, 18—21). In nominum declinatione itemque in verborum coniugatione seiungit trivialem quandam scientiam a paulo maioribus huius

48) I, 5, 7 *intra haec, quae profitentium commentariolis vulgata sunt,* paulo ante I, 5, 6: *Occurrat mihi forsan aliquis: quid hic promisso tanti operis dignum? aut quis hoc nescit alios barbarismos scribendo fieri, alios loquendo ..... illud prius adiectione, detractione, immutatione, transmutatione, hoc secundum divisione, complexione, adspiratione, sono contineri? sed ut parva sint haec ...*

49) I, 5, 5 *prima barbarismi ac soloecismi foeditas absit. sed quia interim excusantur haec vitia aut consuetudine aut auctoritate aut vetustate aut denique vicinitate virtutum (nam saepe a figuris ea separare difficile est): ne qua tam lubrica observatio fallat, acriter se in illud tenue discrimen grammaticus intendat, de quo nos latius ibi loquemur, ubi de figuris orationis tractandum erit.* IX, 3, 2 *Prius* (grammaticum genus figurarum verborum) *fit iisdem generibus quibus vitia, esset enim omne eiusmodi schema vitium, si non peteretur, sed accideret. verum auctoritate, vetustate, consuetudine plerumque defenditur, saepe etiam ratione quadam. ideoque, cum sit a simplici rectoque loquendi genere deflexa, virtus est, si habet probabile aliquid, quod sequatur. una tamen in re maxime utilis, ut et cotidiani ac semper eodem modo formati sermonis fastidium levet et nos a vulgari dicendi genere defendat. quodsi quis parce et, cum res poscet, utetur, velut asperso quodam condimento iucundior erit, at qui nimium affectaverit, ipsam illam gratiam varietatis amittet e. q. s.* Et in singulis huius generis exemplis explicandis scriptor ad vitiorum similitudinem recurrit.

partis propositis. Illuc redeunt, quae praeter formas ipsas docentur de tribus generibus nominum, de communibus quae vocantur, de eis substantivis, quae praeter normam terminationis sunt aut masculina (*Murena*) aut feminina (*Glycerium*), de verborum generibus, modis, personis, numeris. Paulo subtilius quaeritur, unde sit etymologia quorundam nominum propriorum repetenda, nonne sit septimus casus adiungendus, cum *hasta percussi* non sit ad veram ablativi vim enuntiatum, quam diversa sit ratio passivi in transitivis et in intransitivis verbis, cuius ordinis sint *dictu*, *factu*, *sapiens*, *tectum* et quae sunt similia eiusdem fere generis (IV, 22 — 29). Iam accedit prooemio de virtutibus dicendi, quae aptius alio loco institutionis oratoriae explanabuntur, praemisso (V, 1) ad vitia orationis, quae nos hic inprimis curamus. Iterum seiunguntur illa, quae omnibus ex ludi trivialis memoria notissima sunt, ab eis rebus, quas doctiores in scholis adicient ad illa, quae vel plane impolitus et vestibulum modo artis huius ingressus facile habebit in promptu. Sed huic divisioni hoc loco vix multum tribuendum est. Nam primum quidem illud, quod non solum definitionem barbarismi soloecismo oppositam, sed et divisionem huius partis omnibus tam notam esse significat, ut cramben fere recoquat, quicumque talia doceat, id singulis scriptoris verbis examinatis vix probari potest. Quam varie et infeliciter dispositio barbarismi sit instituta apud artium scriptores, etsi quadripertita illa famosa ratio et quaedam de pronuntiationis ratione praecepta omnium sunt communia, supra (p. 66) demonstravimus.

Quintiliani ratio (cf. not. 48) neque acute excogitata est — nam in loquendo res ipsa spectatur, in scribendo forma et ratio vitiosae mutationis —, neque quadripertitam rationem quae est per adiectionem etc. a loquendo alienam esse vult scriptor in singulis rebus illustrandis, neque Fabius sibi ipse constat, cum non plane eandem, quam proposuerat de loquendo dispositionem, postea persequatur [50]). Tum autem minime ab artis consuetudine aliena sunt ea, quae doctiores ad eorum, qui impoliti vestibulum tantum doctrinae ingressi sunt, verba adicient. *Vel hoc primum, quod bar-*

---

50) Claussen (quaest. Quint. Fleckeisens Jahrb. Suppl. VI 322) pro *aspiratione* 6 ponit *spatio*, conf. 18. Sed ne tum quidem tollitur illud dubitationis, quod *aspiratio*, quae nescio quomodo eadem ad pronuntiationem et ad litterarum in scribendo usum pertinet, et re vera illo loco tractatur (19—21) neque facile correctae huic dispositioni, quae est per divisionem, complexionem, spatium, sonum, subicitur. Vide quae Colson in editione (1924) de hoc loco affert.

barismum pluribus modis accipimus, unum gente, quale sit, si quis Afrum vel Hispanum Latinae orationi nomen inserat, ut ferrum, quo rotae vinciuntur, dici solet „cantus", quamquam eo tanquam recepto utitur Persius (V, 71), sicut Catullus „ploxenum" (97, 6) circa Padum invenit, et in oratione Labieni (sive illa Corneli Galli est) in Pollionem „casamo" adsectator e Gallia ductum est. nam „mastrucam", quod est Sardum, inridens Cicero ex industria dixit. Res omnium artium usu ita accipitur, ut in barbarismi provincia hic usus peregrinarum dictionum peculiari voce *barbarolexeos* significetur [51]).

Quaeritur igitur, quomodo hic Petronii ratio artis praeceptis respondeat. Accedit, quod Petronius introducit libertinos ex Asia oriundos (44, 6; 75, 10). Poterat igitur facile horum sermonem ingenti copia vocum semiticarum aut graecarum condire. Sed apparet scriptorem ab hoc consilio plane alienum fuisse.

Demonstravi in dissertatione mea nil posse in illorum oratione ad auctoritatem patrii sermonis semitici revocari (*de sermone vulg.* 8). Immo plane praeter fidem veritatis quae graeca sunt ad normam et necessitatem latinae pronuntiationis detorquentur, ut non peregrini, sed homines vere Romani loquantur (ibidem 9 sqq., 80). Usu ipso vocum graecarum, qui est plurimus apud Petronium ipsum extra cenam in quibusdam provinciis dicendi (cf. ingentem multitudinem exemplorum in praefatione indicis Petroniani collectam), vix distant libertini irrisi ab irrisore ipso. Potest fieri, ut inter eas libertinorum voces, quarum vis et origo nostrae doctrinae parum patet, veluti *mufrius* 58, 13; *caccitus* 63, 3; *cusuc* 77, 4, sint, quae ad peregrinam originem redeant. *Mera mapalia* non solum Hermeros Petronianus 58, 13, sed et Juppiter in apocolocyntosi Senecae 8,1 habet. Vox obscura est eiusdem originis punicae, cuius *magalia* [52]), quae in sententia certe proxime ad illa mapalia accedere videntur (*casae Punicae solute viventium*, translate: Zigeunerwirtschaft) et hac in parte barbarolexeos a scriptoribus artis pro exemplo afferri solent: Donatus 392, 7; Pompeius 284, 21; Consentius 386, 23. Sed nihilominus stabit manebitque illa sententia, qua dicimus Petronium ab usu harum rerum, quas libertinorum origo facile commodare poterat, consilio recessisse et longe alia,

51) Vix est, quod cum Claussenio (l. l. 322) 7 extr. et 9 pr. *barbarum – – – – – alterum genus barbari*, quod habet Bernensis codex, accipiamus.

52) Charisius utrumque interpretatur *καλύβαι Ἀφρῶν* 34, 2 K. Cf. Barwickii apparatum criticum.

quae facile ex natura et necessitate linguae latinae intelleguntur, sectatum esse. In discriminibus inter singulorum orationes interpositis demonstravimus usum graecarum vocum aliquid valere, siquidem Hermeros solus habet multitudinem dictionum ex communi usu cotidiano petitarum (*de serm.* 59), Trimalchio ex astronomiae provincia sumit, quibus doctrinam quandam affectet (d. s. 59).

Sed gravissimum est atque ingentis fere ponderis in imitatione Petronii recte aestimanda quod sequitur apud Quintilianum secundo loco: *Alterum genus barbarismi accipimus, quod fit animi natura, ut is, a quo insolenter quid aut minaciter aut crudeliter dictum sit, barbare locutus existimatur.* Patet enim haec res multo latius, quam his verbis primum quidem apparet. Monetur enim in artibus quibusdam barbarismum et soloecismum non solum in oratione, sed et in moribus dici posse. Affero primum quidem testimonia, quae nondum video esse ea, qua decet, copiositate collecta et exposita. Necesse est hac in re barbarismi et soloecismi doctrinam coniungamus.

Locis a Schepssio diligenter collectis facile apparet voci *soloecismi* et eis vocibus, quae eiusdem radicis sunt, saepissime et ab initio inesse morum notationem. Veluti apud Aristotelem divites sunt *σαλάκωνες καὶ σόλοικοι* (rhet. II, 16). Saepius et argute opponitur grammaticorum studiis et curis in vitiis sermonis positis morum censura, quae multo pluris esse dicitur. Sed nos ea tantum persequimur, quae ad Petronii imitationem illustrandam usui sunt.

Iam Zeno Citieus, Stoicae sectae pater tanquam, disertis verbis hanc divisionem in artem rhetoricam introduxerat, cum soloecismos et extra orationis provinciam intellegeret, veluti in vestimentorum, edendi, incedendi parum apto usu (fr. 82 v. Arnim ex Zonarae et Cyrilli lexicis: *οὐ μόνον τὸ κατὰ λέξιν καὶ φωνὴν ἰδιωτεύειν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ φορημάτων, ὅταν τις χωρικῶς ἐνδέδυται ἢ ἀτάκτως ἐσθίει ἢ ἀκόσμως περιπατεῖ*). Talia postea certe in omnibus fere artibus fuisse significata apparet verbis Consentii (V, 395, 19 sqq.): *tendunt longius plerique scriptores vitium barbarismi. nam quicquid in habitu, quicquid in gestu, quicquid in motu, etiam quicquid citiore vel tardiore incessu quis peccat, ut id ab elegantia eruditi hominis distare videatur, barbarismum dicunt. quam ob rem ita censeri non inutile est, ut sciant se non mediocri vitio laborare, qui civilem scientiam professi in his quoque mutis et tacitis rebus vitium aliquod contra rationem decoris incurrunt, quo magis sequenda sunt haec praecepta, quae a rhetoribus de gestu et actione traduntur.* Atque leve est hac in

re, quod Quintilianus in soloecismo indicat: 1, 5, 36 *in gestu etiam non nulli putant idem vitium* (soloecismi) *inesse, cum aliud voce, aliud nutu vel manu demonstratur: huic opinioni neque omnino accedo neque plane dissentio.* Hoc Quintiliani iudicium spectat non modo ad ea, quae proxime antecedunt, verba, „but to the whole suggestion, that solecism can lie in singulis verbis", Colson ad l. l. Sed illa de gestu praecepta optime ex ipsa vi et sententia soloecismi dicta sunt, quem ars vult contineri non apta iunctura plurium verborum. Sed sunt alia multo maiora.

Exstat in Anecdotis graecis, quae Boissonade publici iuris fecit, tractatus quidam (II, 458), qui non tam sententiis ipsis, quam forma et ratione disputandi hac in re plurimo usui est, de eo, qui est in moribus soloecismo, *περὶ τοῦ ἠθικοῦ σολοικισμοῦ.* Hic diligentissime ad divisionem soloecismi artium consensu traditam vitia morum explicantur: 1) *πλεονασμῷ σολοικίζει*, qui *ὑπερηφανεύεται, περισσὰ λέγει* etc., 2) *ἐκλείψει*, qui tacet, ubi loquendum est, aut *μικροπρεπὴς* est, 3) *ἐναλλαγῇ*, qui mentitur. Sequuntur singulae mutationis partes: a) *κατὰ γένος*: in amore aut amicitia, b) *κατὰ τὸ εἶδος*[53]): in condicionibus hominum superioris ordinis aut familiae parum observandis, c) *κατὰ ἀριθμόν*: in pecunia debita non recte solvenda, d) *κατὰ χρόνον*: in ordine rerum et hominum perturbando, e) *κατὰ διάθεσιν*: ubi quis incommodo tempore aut ignaviam aut audaciam praestat, f) *κατὰ ἔγκλισιν*, si quis non in loquendo, sed in vitae forma ineunda imperativo pro precibus utitur, g) *κατὰ σχῆμα*, dissimulandi simulandique fallaciis. Agmen claudit barbarismus, qui ponitur in vocis ruditate, in iracundia, in eo, qui interrogatus quaerenti deest nec respondet.

Huc spectat epigramma in rhetorem illum, qui vel silentio conservato soloecismos et barbarismos committit. Est eiusdem Lucillii, qui saepius in hac materia temporibus Neronis versatus est: A. P. XI, 148

Μηδὲ λαλῶν, πρώην ἐσολοίκισε Φλάκκος ὁ ῥήτωρ,
καὶ μέλλων χαίνειν, εὐθὺς ἐβάρβαρισεν,
καὶ τῇ χειρὶ τὰ λοιπὰ σολοικίζει διανεύων.
κἀγὼ δ' αὐτὸν ἰδὼν — τὸ στόμα μου δέδεται.

Eodem fere modo ludit Lucillius XI 138, ubi ipsa memoria

53) Cf. Polyb. *εἶδος ἐν ὀνόμασι* = comparatio adiectivorum, *ἐν ἀντωνυμίαις* personale pro possessivo etc.

Heliodori grammatici lingua defigi tanquam atque defixa soloecismos balbutire dicitur. Vides grammaticos et rhetores soloecismorum criminibus coniungi. In illis ipsis autem quod tantam ac tam miram vim soloecismorum movendorum notat, hoc est ex eodem genere facetiarum expressum, quo Lucillius medicos carpit. Apud illos enim fructus eodem fere discrimine distant ab artis eius, quam profitentur, natura et proposito. Diophantus, qui in somniis imaginem Hermogenis medici viderat, inventus est mane mortuus, etsi amuleto erat munitus (XI, 257). Similis est laudatio constantiae in illo stadiodromo, qui ne tum quidem, cum omnia terrae motu concuterentur, de loco moveri poterat (XI, 83), aut laudatur insignis animi mansuetudo in pugile illo a collegis, quorum neminem unquam vulneraverat (XI, 80). Hunc Lucillium cum Lucillo Tarrhaeo in unam eandemque personam confundi nolunt Ioannes Geffcken et Gudeman, quorum ille illius, hic huius res copiose nuper exsecutus est (P.-W.-Kroll XIII, 2, 1777 et 1785). Sed ut ad illud epigramma, quod supra attulimus, redeamus, cognovit iam H. Stephanus de industria poëtam anacoluthon commisisse, ut appareret, quam perniciosa omnis illius hominis commemoratio facilitati verborum iungendorum esset. Coniunxerunt porro interpretes Anthologiae soloecismum manus in Flacco rhetore notatum non solum cum Quintilani verbis supra allatis (I, 5, 36), sed etiam cum testimonio Philostrati, quod est in vitis soph. I, 25, p. 542 de Polemone, qui histrionem quendam dixerat manu soloecismum commisisse. Ille enim manibus ad terram demissis „O Iuppiter!“, caelo monstrato „O Terra!“ exclamaverat.

Nunc denique confido viam patefactam esse ad interpretationem epigrammatis illius Martialis novis subsidiis instaurandam atque exornandam, quod est XI, 19

Quaeris, cur nolim te ducere, Galla? diserta es.
Saepe soloecismum mentula nostra facit.

Friedländer contulerat II, 90, 9

sit mihi verna satur, sit non doctissima coniunx,
sit nox cum somno, sit sine lite dies

atque putaverat poetam tantum significare, quantopere a doctrina feminarum abhorreret. Cui Gilbert cum obloqueretur (Fleckeisens Jahrbücher 135 (1887) 150) ita, ut intellegeret non tam doctam, quam facundam feminam, welche den Verstössen und Verirrungen des Gatten gegenüber beredt das korrekte eheliche Verhalten for-

dert, non persuasit, ut ab illa sententia recederet. Hanc ipsam autem diligentius ita exsecutus est (Bursians Jahresberichte 72 (1892), 178), ut feminam diceret intellegendam esse talem, qualem Iuvenalis describit VI 445 sqq., die sich auf ihre korrekte Redeweise etwas zugute tut. Miror Mauricium Schuster nuperrime (Phil. Wochenschrift XLVII (1927) 601 sqq.) plurimis locis ad Gilbertii illam interpretationem rediisse. Putat enim poëtam aut eum, quem Martialis hic loquentem facit, conscium sibi parum constantis in rebus coniugii fidei, timere, ne illa, de erroribus coniugis fama urbis certior facta, ut est diserta atque eloquens, morum pravitatem in viro verbosa atque copiosa arte disserendi castiget atque coërceat. Equidem non dubito, quin hac ratione interpretandi vera acumina verborum de medio tollantur.

1) Quaeris, cur nolim te ducere, Galla?

Martialis igitur rem ita instituit, ut dialogo utatur, in quo ipse Gallae quaerenti respondet. Hanc formam loquendi nuper Weinreich (Die Distichen des Catull 44 sqq., 99 sq.) diligentius exsecutus est apud Catullum (85 *fortasse requiris*, 7, 1 *quaeris, quot mihi basiationes* etc), apud Propertium (I. 22, 1; II, 1, 1; II, 31, 1 etc), apud Martialem denique („Martial hetzt die bequeme Fiktion zu Tode“), ut alios mittam. Eam fortasse nescio qua similitudine coniunctam esse dicemus cum illa carminum Horatii natura, quam Heinze (Ilbergs Neue Jahrb. 1923, 156) contineri demonstrat eo, quod nominat „Ansprache an eine als gegenwärtig zu denkende Person“.

2) *Diserta es.*

Erraverunt atque facetiis epigrammatis intellegendis defuerunt, qui hac in voce castigationem coniugis ab uxore diserta arte et ratione institutam intellexerunt. Talia enim alienissima sunt ab hoc loco. Poëtae mores autem praeter exspectationem ultimis demum verbis tanguntur. Verum vidit Friedlaender. Nam illius aetatis eloquentia quam sit et docta et diserta et vitiorum dicendi fugiendorum unice studiosa, satis demonstravimus. Hoc parum intellexerunt, qui disertae feminae commemoratione res, i. e. querimonias, opprobria, non artem significari voluerunt.

3) *Saepe soloecismum mentula nostra facit.*

Schuster (l. s. l.), ut demonstret sales carminis non esse positos in grammatica, affert locum, quem — est autem iam ab interpretibus illius epigrammatis Lucillii allatus — grato animo illis de soloecismis morum collectis copiis testimoniorum adiunge-

mus. Hic enim vim vocis latius patere facile cognovit. Hieronymus enim adversus Helvidium 18 haec: *Non quaero eloquentiam. quam ipse non habens in fratre Craterio requisisti, non, inquam, flagito linguae nitorem: animae quaero puritatem. apud Christianos enim soloecismus est magnus et vitium, turpe quid vel narrare vel facere.*

Facile apparet, quomodo Hieronymus in modum eorum testium, quos attulimus, soloecismum eloquentiae ad soloecismum morum transferat. Nunc ratio carminis clarius, puto, quam antea, apparebit. Martialis a Galla, soloecismorum illa insectatrice, initium capit. Praeter exspectationem, ut iustum acumen ne desit epigrammati, ultima dicuntur. Offendetur Gallia si non in soloecismis dicendi, at certe in mentula soloecismorum illorum in moribus positorum cupidissima. Ex hac doctrina, quam in tota soloecismi memoria nunquam fere non vestigiis quibusdam perspicuis apparere videmus, pendent facetiae horum verborum. Addimus, quod soloecismus est ex artis consuetudine partium parum conveniens iunctura, error in membris orationis praeter iustum ordinem coniunctis commissus. Facile vides, quam apte haec ultima carminis verba sint ex Gallae, disertae feminae, ipsius praeceptis petita, quam sagaciter quaerenti respondeatur.

Feliciter autem hanc doctrinam supplet Lucianus ita, ut missis sane omnibus normis divisionis et dispositionis soloecismum morum ita describat, ut Petronii non possimus non memores esse. Apud illum enim Nigrinus (cap. 30 sq.) vitia quaedam hominum perstringens *σολοικισμὸν ἐκάλει τὸ τοιοῦτον τῶν ἡδονῶν.* Dicit autem cupidines parum apto aut tempore aut loco patefactas. Singula omnia fere e Trimalchionis cena illustrari possunt. Commemoratur primum ridicula in testamentis et sepulcris cura:

παραμένειν τινὰς οἰκέτας τοῖς τάφοις (κελεύοντες) —	71, 8 *praeponam unum ex libertis sepulcro meo custodiae causa.*
τὴν ἀναλγησίαν ἔγγραφον ὁμολογοῦσιν.	71, 8 *nec unquam philosophum audivit.*

Hos dicit Nigrinus esse eosdem, qui inter vitam pretiosissum quicque ad cenas coëmunt, *τὸ πολυτελὲς ὄψον ὠνούμενοι,* qui in conviviis vinum *μετὰ κρόκων καὶ ἀρωμάτων ἐκχέουσιν.* Nunc croci ipsius apud Trimalchionem duplex usus: *omnes enim placentae omniaque poma coeperunt effundere crocum* 60, 6; *scobemque croco et minio tinctam sparserunt* 68, 1. Plane ad Trimalchionis rationem

fictum est illud, quod Lucianus porro affert, cum dicit illos media hieme praeter iustum tempus propter ipsam raritatem sibi comparare rosas, quas tempore iusto secundum naturae ordinem oblatas pro nihilo habeant. Illos dicit et *μύρα πίνειν*. Hoc ipsum enim perstrinxit acerbissime in illis philosophus, quod ne cupidines quidem secundum naturam explerent (*κἂν ταύταις παρανομοῦσι καὶ τοὺς ὅρους συγχέουσιν*).

Respondet igitur soloecismus in moribus, quo mors in modum vitae curatur, rosae hieme comparantur, aromata vinis adiunguntur, genio indulgetur deliciis praeter naturam rerum commixtis atque coniunctis, optime illi grammaticorum et rhetorum soloecismo, quo singula recte ad latinam normam expressa vitioso ordine conflantur[54]). Facile intellegitur, quantopere hac parte artis potuerit allici et commoveri, qui erat *petulanti splene cachinno*, ut soloecismos et barbarismos suarum personarum cum moribus ipsis coniungeret. Equidem copiosa disputatione (*de sermone* 57 sqq.) mihi videor demonstrasse plurimo discrimine morum et verborum singulos libertinos inter se distare. Haec hoc loco repetere minime in animo est. Sed hoc addo, quam facile haec discrimina normis artium subiciantur. Peccat H e r m e r o s[55]) toto flumine orationum d e t r a c t i o n e, cum sententias non recte absolvat, habet plurima c a c o s y n t h e t a et a n a c o l u t h a, cum natura caldicerebrius et nimium exagitatus saepissime ab instituta sententia deflectatur ad alterum propositum (*de serm* 59 sqq.). Peccatur a T r i m a l c h i o n e (ib. 74 sqq.) per soloecismum quendam cogitationis, quo fit inconveniens iunctura rerum dissimilium, quae ipsae plane ad consuetudinem loquendi dicuntur, promittit *me salvo*, ubi de testamento agitur, in mortuorum imaginibus plenam vitae simulationem laudat et quae sunt alia similia.

---

54) Multo minoris, si recte video, ponderis sunt vestigia quaedam similis doctrinae in provincia t r o p o r u m, si quidem praeter usum elocutionis et hic cum alia genera troporum in musica, dialectica, alibi constituuntur, tum morum tropi tales, quales *εὔτροπος, κακότροπος* (Spengel, Rhet. gr. III, 226 et 230). Hic enim res nullius fere usus est, nisi in vi vocis loquaci quadam abundantia omnibus e partibus illustranda.

55) Optime ad elleipseis huius hominis quadrat, quod Immisch litteris liberaliter ad me datis proponit 57, 10 *homini maiesto et dignitosso* (*mali isto* H) interpretandum esse ex compendio illo syllabarum, de quo nuper copiosissime Klotz (Rhein. Mus. LXXV, 98 sqq.). Cf. et Birt, Rhein. Mus. LI, 248 sqq. LXXV, 238; Jugendverse und Heimatpoesie Vergils 43. Videtur igitur delendum esse in lexico libertinorum adiectivum *maiestus, a, um*.

Peccat Habinnas, sevir idemque lapidarius, cum soloecismo quodam morum affectationem civilis et delicatae elegantiae misceat cum turpissimis et verbis et sententiis. Addo ad ea, quae iam exsecutus sum, exempla (l. l. 74) verba de puero delicato (68, 8), quibus dominus fastidiosum iudicium non minus, quam infimam ruditatem prodit: *desperatum valde ingeniosus est: idem sutor est, idem cocus, idem pistor, omnis musae mancipium. duo tamen vitia habet, quae si non haberet, esset omnium numerum: recutitus est et stertit. nam quod strabonus est, non curo. sicut Venus spectat. ideo nihil tacet, vix oculo mortuo unquam. illum emi trecentis denariis.* Haec quomodo sonuerint fere, animo finges, ubi cogitabis inter amicos similia iudicia de ancilla amata a domino proferri. Sed vide, quam bene sit ex moribus huius viri falso unguento nobilitatis fluentis petitum illud, quod in deliciis delicatuli pueri straboni laudandis Veneris ocellos paetos, umidos, luscos, fractos, tremulos ut similes affert, quasi consueverit in picturis, imaginibus, statuis aestimandis urbanam artis peritiam et eruditionem non minus quam corporis formarum peritiam usu luxurioso probatam praestare.

Nicerotis porro timida ignavia mostellorum vanis ludibriis nunquam non ad sudorem et tremorem redacta loquitur, quasi armorum, arenae, virtutis usu et consuetudine sit nutrita (l. l. 74).

Quam sit ridiculus Echion, cum, ipse praeter ceteros fere recte loquendi imperitus, litterarum laudes Musarumque tutelam exsequatur, de pretiis et discriminibus et officiis magistrorum eodem fere modo quo Quintilianus loquatur[56]), cum alieno loco genus neutrum, passivum, coniunctivum, quae omnia nescio quid doctrinae remotae habere putat, adeat, significavimus (l. l. 68 sqq). Ut Hermeros detractione, ita adiectione, abundantia, amphibolia, tautologia, pleonasmo peccat Phileros, cuius orationem in omni pronominum multitudine de re ipsa proposita desperatum valde obscuram recensuimus (l. l. 66 sq). Dama[57]), vir ebrioso languore

56) 46, 6 *qui plus docet quam scit,* Quint. I, 1, 8 *stultitiam suam perdocent*; 46, 5 *sibi placens,* Quint. ib. *falsam sibi scientiae persuasionem induerunt.*

57) Nos quidem consuevimus hunc hominem hoc nomine significare, obliti fere, quam incertae sit auctoritatis. Traditur enim *Clamat itaque primus, cum pataracina poposcisset, dies, inquit, nihil est* 41, 10. In his verbis ipsis nil offensionis est (*clamavit ... inquit* eodem modo 9, 8; *proclamavit* 43, 1 in initio orationis Philerotis). Ceterorum libertinorum nomina ipsis locis adduntur excepto

cogitandi et loquendi impeditus, habet in re potatoria aliquas elegantias, quae mirum in modum a rudi simplicitate harum paucarum sententiarum brevissimis membris concisis sine ullo fere vinculo enuntiatarum recedunt. Vix negabis soloecismi ex artis consuetudine acceptam definitionem elegantissime a Petronio eandem et singulis verbis et moribus personarum probari et variari.

Tertio autem loco Quintilianus (I, 5, 10) accedit ad illud vitium barbarismi, cuius exempla vulgo sunt plurima, ad illam in omnibus artibus copiosissime tractatam formam, quae statim quadripertita ratione consueta comprehenditur: (cuius exempla) *sibi etiam quisque fingere potest, ut verbo, cui libebit, adiciat litteram syllabamve vel detrahat aut aliam pro alia aut eandem alio quam rectum est loco ponat.* Reprehenditur enim usus eorum magistrorum, qui, ut artium scriptores praeter Consentium, in poëtarum verbis criticam suam doctrinam exercent *in iactationem eruditionis. Scire autem debet puer haec apud scriptores carminum aut venia digna aut etiam laude duci, potiusque illa docendi erunt minus vulgata.* Utut de poëtarum hac in re usu iudicabis, superant certe haec artium exempla usu et fructu talia, qualia cogitatione mera praeter omnem fidem finguntur. Ita autem ut rem instituamus, Quintilianus si non suadere, at certe permittere videtur, quod facillime ruditate illius quadripertitae doctrinae commendari potuit. Quintilianus certe ipse ab ab his infelicibus artibus plane alienus est. Videntur et ceteri scriptores iudicio et nescio quo veri sensu hoc periculum incommoda artis ipsius natura oblatum evitasse. Nam quod Colson (ed. p. 174) affert exemplum ut sine ulla specie veri usus fictum ex Charisii illo loco gravissimo I 51, 2 (cf. supra p. 56), id in hac provincia barbarismi nil valet: *si quis dicat scrimbo pro eo quod est scribo, non analogiae virtute, sed naturae ipsius constitutione convincitur.* Hoc loco enim, quo latinitatis normae et criteria recensentur, aptissime exempli ficti usu demonstratur, quid valeat natura, quid analogia. In vitiis sermonis longe alia ratio est disputandi. Sed addimus illud gravissimum ne Petronium quidem ludibrii vel risus gratia expedita et facili ratione adiectionis, detractionis, mutationis, transpositionis sua exempla formasse atque vi aut temeritate aut dolo libertinorum sermonibus interposuisse. Saepius in disputatione illa, ad quam his in rebus non possum

Hermerote, quem nisi Trimalchio appellaret 59, 1 hoc nomine nos non haberemus quomodo nominaremus. *Dama* Heinsius restituit, quod quantum necessitatis habeat, videas ipse.

non legentium animos revocare, demonstravi iusto iniquius haec et similia solere in Petronii opere aestimando neglegi.

Sola fere ex omnibus illis quattuor partibus transmutatio in barbarismo habet aliquid rationis, qua si non cogitatione, at certe re coniungi soleant, quae ad unam eandemque legem redeunt. Inde petit scriptor haec exempla: 12 *nam duos in uno nomine faciebat barbarismos Tinga Placentinus* [58]), *si reprehendenti Hortensio credimus, „preculam" pro „pergula" dicens, et immutatione, cum c pro g uteretur, et transmutatione, cum r praeponeret antecedenti . . . . . et Trasumennum pro Tarsumenno* [59]) *multi auctores, etiamsi est in eo transmutatio, vindicaverunt.* Talia Petronius consilio neglexit, etsi non modo usu cotidiano, sed vel artis praeceptis offerebantur (*de serm.* 30). In adiectionis, detractionis, immutationis partibus coniunguntur sine ulla ratione tam diversa, ut imitationi Petronii praeter exempla ipsa usui esse nil potuerit. Omisit certe Petronius illa exempla, in quibus pro media tenuis consonans posita erat, sed quantum hic debeat artium exemplis eis locis, quibus *o* pro *au*, syncopam, *culcitram* et *credras*, *soleum*, *martiolum*, *manuciolum*, *cardelem*, similia adhibuit (cf. *de serm.* 21 sqq.), aegre diiudicabimus. Sed omnia haec in consiliis Petronii vix multum valent. Quam inepte hac ex norma seu additionis seu demptionis iudicatum sit, utrum *assentior* an *assentio* esset dicendum, Quintilianus ipse sentire videtur: *at ille pexus pinguisque doctor aut illic detractionem aut hic adiectionem putabit*, etsi, nisi fallor iudicio, usum nimis morosum potius quam normam ipsam reprehendit. Rem ipsam enim hic et altero loco (IX, 3, 7) in medio relinquit. Nos hoc quantum apud Petronium valeat itemque, quam recte pluralia tantum singulariter, pluraliter singularia tantum efferantur, *gladia* in plurali dicatur, aptius alio loco recensebimus [60]).

58) De huius pronuntiatione in certamine dicacitatis sapore vernaculo Granii obruta Brut. 172, supra p. 29.

59) De hoc exemplo Ritschl, Rhein. Mus. XXII (1867), 603.

60) *Absurdum forsitan videatur dicere barbarismum, quod est unius verbi vitium, fieri per numeros aut genera sicut soloecismum: „scala" tamen et „scopa" contraque „hordea" et „mulsa", licet litterarum mutationem detractionem adiectionem habeant, non alio vitiosa sunt, quam quod pluralia singulariter et singularia pluraliter efferuntur: et gladia qui dixerunt, genere exciderunt. sed hoc quoque notare contentus sum, ne arti culpa quorundam pervivacium perplexae videar et ipse quaestionem addidisse.* Recte Colson: Older edd., including Spalding, inserted „non" before „habeant", but with what sense I do not understand. Sed et ipsius interpretatio loco non sufficit: Q.'s view, as shown by *tamen*, apparently is, that

Videmus igitur totam hanc barbarismi artem in imitatione a Petronio instituta vix ullius pretii fuisse. Felici quodam iudicio veri et commodi impeditus est, ne rudi illa doctrina quattuor normarum ad ineptias fingendas deduceretur. Sed ne singulis quidem exemplis copiosius aut saepius usus est, cum tota haec provincia litterarum et syllabarum adiectarum, remotarum, mutatarum, transpositarum minimum fere locum teneret in proposito illius.

Restat, ut de dicendi vel pronuntiationis vitiis huic parti subiectis agamus. Sed haec vix exspectabis in illius opere expressa esse, *quia*, ut Quintiliani verbis utar, *exempla eorum tradi scripto non possunt, nisi cum in versus inciderunt.* Omnia igitur, quae aut productionibus aut correptionibus vocalium, quae accentuum vicibus, quae divisione diphthongorum, complexione duarum per *συναλοιφὴν* iungendarum vocalium continentur, omnia haec hic neglegenda sunt. Sed ea pars, quae est de aspiratione, eadem quodam modo et ad scripturam pertinet. Atque hic quidem plurimi illud est ponderis, quod Petronius largissimam hanc copiam in exemplis aspirationis aut neglectae aut perperam adiectae oblatam consilio intactam reliquit, etsi non solum cotidiani sermonis usus habuit exempla plurima, sed et artis ratio in hoc campo multo felicius et aptius, quam in plerisque aliis, versata erat. Nam *hostiarius* (77, 4) est librarii, non Petronii (*de serm.* 24). Uno certe exemplo Ganymedis (44, 5; *de serm.* 9) *larvas istas percolopabant* demonstrat scriptor plebem consonantibus non aspirare, id quod Quintilianus et alio loco (XII, 10, 57) significat, quo narrat *rusticum* quendam testem interrogatum, *an Amphionem nosset*, primum quidem negasse, tum detracta aspiratione et breviata secunda eius nominis syllaba facile concessisse. In ceteris Petronius plane ab his rebus alienus est, nisi forte *tisicus* 64, 3 et, quod satis incertum, *si milia si cilia* (= *χίλια*) 44, 4 huc trahi vis.

In vi soloecismi accuratius definienda quaerebatur apud artium scriptores, essentne quaedam, in quibus per singula verba peccari

---

they are barbarisms. The fact, that they shew *mutatio* etc., makes them necessarily barbarisms, but obviously the mistake lies in the fact *quod pluralia* etc., and the conclusion is *barbarismum posse fieri per numeros.* Sed *tamen* non debet ita intellegi, ut Q. affirmet id, quod artium quidam scriptores negaverant, barbarismos in his exemplis esse intellegendos, sed potius hunc in modum: Nihilominus, utut de his artium definitionibus, quas Q. saepius parvi aestimat, iudicabis, hoc certe apparet, exstare quaedam exempla, in quibus, licet haec ex artis doctrina secum pugnare videantur, et barbarismi normas adhiberi posse concedas et peccari numeris et generibus.

videbatur, ad barbarismum an ad soloecismum trahenda. Norma a prudentibus certe petebatur ex eo, quod ibi, ubi peccandi semen non in singulis verbis solis perspici potest, sed repetitur *ex complexu eorum, quibus res significantur et voluntas ostenditur*, soloecismi, non barbarismi necessitas apparet. Dicuntur autem haec exempla: *ut si unum quis ad se vocans dicat „venite“* (5, 36). Hic Ammon in Bursiani annalibus 212, 54 sibi videtur initia illius romanici generis dicendi cognoscere, quo quis urbane numero plurali appellatur. Sed est, quod huic sententiae nescio quomodo captiosae obstet. Ceteris exemplis enim apparet fingi hic sane ea ratione, quam in barbarismi litteris et syllabis institui modo negavimus, ex numeri vel casus vel generis necessitate exempla neque ullam fidem verae consuetudinis perspici posse: *aut si pluris a se dimittens ita loquatur „abi“ aut „discede“, nec non, cum responsum ab interrogante dissentit, ut si dicenti „quem video?“ ita occurras „ego“.* Similia apud ceteros auctores: *si demonstrantes virum „hanc“ dicamus, aut feminam „hunc“, aut si interrogati, quo pergamus, respondeamus „Romae“, aut unum resalutantes „salvete“ dicamus* Diomedes 455, 26; Donatus 393, 11; copiosius Pompeius 289, 23 sqq., qui hac in parte habet et *quo vadis? intus! pro eo quod est intro.* Petronius certe nullo, nisi fallor, exemplo falsam hanc aut demonstrandi aut respondendi aut appellandi rationem illustrat, in qua grammatici, ut vitiorum doctrinam omnibus e partibus absolvant, vera cum fictis ineptiis miscere videntur, etsi non dubito, quin apud poëtas invenerint sententias, quas haec ipsa propter vitia morosa censura castigare posse sibi viderentur.

In eadem quaestione nonnihil difficultatis habebant pluralia tantum et singularia tantum, quorum causam testium loco agunt apud Quintilianum et in artibus *scala, scopa* ab illa parte, ab hac *hordea* et *mulsa* (Quint. 5, 16; Diomedes 455, 30; Donatus 393, 15; Pompeius 290, 7). Talia habet in Hermerotis oratione Petronius; hic enim libertinus, quam sit alienus ab omni doctrina, consilio fere et ratione significat ita, ut dicat: 58, 7 *non didici geometrias, critica*, cum debeat dicere *geometriam, criticam* (cf. *de serm.* 60). Habet ars et exempla, quibus in usu generis neutri peccatur: *gladia qui dixerunt, genere exciderunt* (Quint. 5, 16). Sed in hac provincia soloecismorum tam mirae fecunditatis est Petronius, ut studiis longe ultra singula artium usu oblata exempla promotis hoc certe loco totam rem omnibus e partibus illustret longe relicta morosa illa singulorum vitiorum insectandorum ratione. Nam praeter *cetera quisquilia omnia, nervia*

praecisa, quae aliqua similitudine ad illa *gladia* accedunt, habet *caelus*, *vinus*, *balneus*, similia, habet *hilaria* pro hilaritate, *ervilia*, *cibaria*, singulari autem arte facit centonarium, indoctum illum doctrinae et artium patronum, in litteris praedicandis falso loco genere neutro illo, quod ad provinciam eruditorum virorum pertinere sentit, utentem: *litterae thesaurum est, emi ergo nunc puero aliquot libra rubricata*. Haec imitatio mimicae elegantiae et docti consilii plena a rudi illa artium disciplina angustis quibusdam scholasticae morositatis finibus circumscripta alienissima est. De usu generis neutri apud Petronium egimus l. l. 40 sqq., 70.

Provincia soloecismi more sollemni et apud Quintilianum quattuor illis normis comprehenditur. A d i e c t i o n e aut d e t r a c t i o n e peccamus, cum praeter leges grammaticas *Aegypto venio*, *in Alexandriam* dicimus, cum coniunctiones eiusdem significationis duplicamus (*nam enim*), cum praepositione cum adverbio coniuncta utimur: *desusum*, cum *ne hoc fecit* pro *ne hoc quidem fecit* dicimus. T r a n s m u t a t i o n e ponitur *quoque*, *enim*, *autem* primo loco. Accedit ex aliorum auctorum ratione geminatio abnuendi in sententia affirmativa. Habet igitur Trimalchio *Africam ire* 48, 3; Hermeros *apes ab Athenis iussit afferri* 38, 3; *arietes a Tarento emit* 38, 2; inter artium exempla detractionis sollemnis est *ferina* (caro), quae respondet *ursinae* apud Petronium (66, 5) ab Habinna commemoratae. Cf. *barbatoriam fecit* 83, 6; *staminatas duxi* 41, 12; *dedit suas* 45, 9; *admissus Caesarem* 51, 2. *Ne* pro *ne — quidem* habet Trimalchio: *hoc solum vetare ne Jovis potest* 47, 5. Omnes fere libertini multi sunt in negatione geminanda (*de serm.* 32, 61). *Quia enim* 51, 6 maluimus (l. l. 33) aliter intellegere atque ex hoc geminationis usu populari. Sequuntur in parte i m m u t a t i o n i s plurima illa, in quibus pars orationis commutatur altera parte aut in eadem parte orationis per accidentia peccatur.

Veluti *adverbium pro pronomine*, quod est in arte, illustratur his exemplis Petronianis: *tam fui quam vos* 75, 8 Trim., *aeque est ac si* 42, 7 Seleucus. Saepius non habemus, quomodo diiudicemus, quantum hic exemplis artium debeat Petronius. Sed hoc dicimus Petronium multo plus rationis, consilii, vere grammaticae doctrinae habere quam omnes artium scriptores, qui vix ultra singulorum vitiorum notationem ad vera peccandi semina progrediuntur. Demonstravimus l. l., quomodo in genere verbi acu rem tangat ita, ut modo activa pro deponentibus introducat, modo falsa media ratione et consilio adhibeat aut in *piget pudet paenitet* etc. aut in

falsa urbanitate (43, 70). Temporis futuri vicarios quosdam esse recte cognovit (l. l. 37 sq.). In casuum (17) et in modorum aut coniunctivi aut indicativi usu minime ludibrio commutationis utitur, sed nil molitur inepte (72).

Apud artium scriptores singulis exemplis docetur, quid falso sit dictum: praesens pro perfecto, praesens pro futuro, indicativus pro coniunctivo; possessivorum tertiae personae ratio hunc fere in modum explanatur (Prisc. XVII, 114 = III 167, 18 K): *tertiae vero personae possessivum sine voce altera significante possessorem suum non potest adiungi alii personae per se: si enim dicam „suus servus ministrat mihi“ vel „tibi“, soloecismum facio* e. q. s. Sed libertinorum errores non sunt ad haec praecepta, quae sine ulla vera ratione in singulis verbis reprehendendis et corrigendis versantur, a Petronio ficta, sed ad ipsius sermonis cotidiani fidem expressa. Cf. de futuri compensatione 71, 5 *Quid dicis, amice carissime? Aedificas monumentum meum, quemadmodum te iussi?* 33, 1 *permittitis tamen.* Coniunctivum pro indicativo post *etiamsi* ponunt Echion et Trimalchio falsae urbanitatis studiosi, quia (58, 5 *quamvis scis)* usus popularis saepius praeter normam scholae coniunctivum neglegit, veluti constanti fere more in interrogationibus obliquis *(de serm.* 57). Pronominum perturbatio cum alibi *(de serm.* 33), tum in Philerotis obscura loquacitate (l. l. 66) consilio et ratione instituitur. Vix dici potest, quam ingenti discrimine cogitationis et iudicii ratio imitationis Petronianae superet his in rebus illam scholasticorum nationem pingui disiectorum orationis membrorum insectatione madentem et splendentem. Nihilominus sunt in singulis, quae ex Quintiliani verbis ad usum Petronii illustrandum afferri possint. Illud vitium (5, 46) aut per quantitatem aut in sensu et significatione commissum in verbis *„magnum peculiolum“*, ubi pro nomine integro positum est deminutum, uno loco adhibetur 63, 5 *hominem Cappadocem, longum, valde audaculum*[61]*).* Peccat apud Quintilianum, *qui pro illo „ne feceris“ „non feceris“ dicat, quia*

61) Rem ipsam equidem (l. l. 48) ex eo repetiveram, quod in eis adiectivis, quae in hominibus significandis usui sunt, ut in *pauper, tristis, strabo, alacer,* cum alibi tum apud Petronii libertinos aperta sexuum discrimina desiderantur et nescio quomodo comparantur. Spitzer epistula liberaliter ad me missa me monet se de deminutivi vi nonnunquam augmentativa egisse Bibl. arch. rom. II, 2, quem locum inspiciendi hic nulla mihi est copia. In Catulli, poëtae deminutivorum studiosissimi, usu, quem Rudolfus Helm in recensenda mea dissertatione (Phil. Wochenschrift XLVII (1927) 625) monet dignum fuisse, qui a me afferretur, equidem nil invenio, quod illi exemplo Petroniano vere respondeat.

alterum negandi est, alterum vetandi. Hoc autem facit Trimalchio (*non facias* 75, 6; *suadeo non patiaris* 74, 15; *non sequatur* 71, 7). Copiosissime exhausit Petronius illam provinciam, quae unica fere in artibus consilio et ratione tractari solebat, dico illam contaminationem cogitandi et quaerendi *foris — foras, intus — intro, Romae — Romam* (cf. *foras cenat, foras est, voca in medio, fui in funus, videbo te in publicum, Capuae exierat*, cf. *de serm.* 24 sq., 34 [32], 73). Talia inde a Lucilii temporibus in artibus illustrari solebant. Cf. Quint. 5, 50.

Huc accedunt necessitate argumenti, quae in nono de verborum figuris grammaticis edocentur (cf. not. 49). Atque de generis et nominum et verborum frequenti permutatione iam egimus. Sequitur in illo vitio, quod est in numero, cum singulari pluralis aut plurali singularis subiungitur, locus ille saepissime tractatus, qui ex Vergilii quarta Ecloga petitus est (IX, 3, 8)

qui non risere parentes,
nec deus hunc mensa dea nec dignata cubili est.

Interpretatur Quintilianus: *ex illis enim „qui non risere" hic, quem non dignata.*

Equidem hic non quaero, quid Vergilius scripserit. Verba tradita [62]) certe ita interpretanda sunt, ut ei, qui non risere parentes, i. e. qui non arriserunt parentibus (Scaliger), vitio vel figura orationis abeunt in hunc, quem etc. Nescio an Quintilianus certe rem eo fere modo quo Birt voluerit intellegi. Sed ad Petronium haec quaestio plurimae dubitationis plena non pertinet, pertinet autem illud, quod sequitur (IX, 3, 9): *in satura est* (Pers. I, 9)

nostrum istud vivere triste aspexi,

cum infinito verbo sit usus pro appellatione, nostram enim vitam vult intellegi. Huius infinitivi enim usum Petronius Trimalchioni

---

Meae puellae turgiduli ocelli (3, 18) longe aliter dicuntur. In multis exemplis Catullianis valet illud a Krollio ad versum 63, 35 adnotatum: Das Deminutivum *lassulae* zieht den Vorgang in die gemütliche Sphäre. Sunt et exempla, quae facillime ex numerorum necessitate intellegantur. Kroll ad 2, 7: C. hat dieses oft metrischer Bequemlichkeit dienende Mittel — es liefert Daktylen und überhaupt Kürzen — etwas tot gehetzt. Sed non habeo, quod Helmio obloquar, qui putat multitudine locorum Catullianorum confirmari plebis usum atque consuetudinem. Apud Petronium autem narratur historia ingentis horroris plena, describitur *baro longus, qui valebat, poterat bovem iratum tollere.*

62) Corrigitur quod est loco priore in codicibus *cui* interpretatione Quintiliani ipsius. Birt, Berl. phil. Woch. XXXVIII (1918) 186. Stuart, Class. Phil. XVI (1921) 209. Norden, Die Geburt des Kindes 62, 2.

attribuit (*de serm.* 13). Reprehenditur cum Cicerone (Phil. III, 9, 22) *contumeliam fecit* pro eo quod est *contumeliam patitur.* Petronius habet cum alia exempla plurimae verbi *faciendi* in vulgari usu varietatis (Heraeus, Glossen 35), tum (45, 9) *exitum facere*, quod aliquid similitudinis habet cum illo usu dicendi, qui est in verbis *contumeliam fecit.* Sed exstat et in oratione urbana (2, 9). Leve est *plus satis* pro eo, quod est *plus quam satis*; cf. Petr. *plus libram comedi* (66, 6 Habinnas), *habeo scyphos urnales plus minus C* (52, 1 Trimalchio).

Huc pertinent denique illa anacolutha, quae ratione quadam inter singulos libertinos disposuit auctor: *aediles — male eveniat, qui cum pistoribus colludunt* (Ganymedes 44, 3, *de serm.* 12). *Credite mihi, anathymiasis si in cerebrum it et in toto corpore fluctum facit — multos scio sic periisse, dum nolunt sibi verum dicere* (Trimalchio 47, 6; l. l. 77[54]); *lupus enim villam intravit et omnia pecora tanquam lanius sanguinem illis misit* (Niceros 62, 11; l. l. 73). Frequentissima exempla apud Hermerotem, qui quam sit et in genere dicendi exagitatus et iracundia perturbatus, demonstravi 59 sqq.

Ex orthographiae praeceptis nonnulla usui esse in genere dicendi libertinorum recte aestimando facile miraberis. Sed equidem non habeo, quomodo non huc traham illud, quod *ei* pro *i* loquuntur Echion et Trimalchio, falsae uterque elegantiae plenus (E. 46, 7 *destinavi illum artificii docere, aut tonstreinum aut praeconem aut certe causidicum;* T. 47, 2 *profuit mihi tamen maleicorium).* Si recte hos locos diiudicavi (l. l. 28, 71), haec abundantia diphthongi ex scribendi usu ad loquendi consuetudinem fucandam temere et ridicule adhibita est ab eis, qui falsa specie doctrinae peccant. Neque quicquam discriminis inter *i* longum *(tonstreinum)* et *i* breve *(maleicorium)*, siquidem fidem attribuimus codicis memoriae in hac re minuta, interponitur. Immo videtur Trimalchio hoc ipsum exemplum, quod ex medicinae doctrina depromit, praeter cetera dignum habere, quod ridiculo hoc ornamento ex scribendi usu petito efferat.

V

Quantis vinculis similitudinis Petronii cena cum Horatii satura octava libri II. coniungatur, facile apparet[63]). Sunt tamen

63) Singuli loci comparantur his locis: Collignon, Étude sur Pétrone, 255 sq. Révay, Horaz und Petron, Class. Phil. XVII (1922) 202 sqq. Shero, The cena in Roman satire, Class. Phil. XVIII (1923) 126 sqq.

praeter multa et magna similia et alia, quibus distent in singulis. Res inter cenam gestae enarrantur apud utrumque a viro erudito ita, ut plurimum nauseae et risus ex sordidis moribus hospitis multorumque convivarum petatur. Sed apparet, quanto Fundanius Encolpium, Maecenas, Varius, Viscus Thurinus Agamemnona rhetorem superent. Neque in ceteris personis quicquam similitudinis: Giton et Petronii libertini plurimo discrimine distant a duobus scurris Maecenatis, a Nomentano, a Porcio denique. Mores Trimalchionis porro tam singularibus coloribus depicti sunt, ut ille apud Horatium Nasidienus in umbram fere abeat atque evanescat, ubicumque cum illo comparabitur. Nihilominus aliis in rebus multa similia. Ridicula iactatione ab utroque hospite offeruntur convivis seu cibi seu vina ad arbitrium eligenda, quicquid praeter cetera pretiosum et notabile est, id inurbana ratione effertur et significatur aut ab hospite ipso aut a conviva quodam, qui copiosarum familiae divitiarum inprimis peritus est. Finguntur a cocis utroque loco monstra quaedam artis, quibus inepte natura ipsa ciborum pervertitur aut exspectatio cenantium per falsam speciem luditur. Sunt, inter cenam qui calices poscant maiores. Perturbatur cena rebus ex adverso et praeter exspectationem subito et incommode gestis, sed adsunt vana solacia ex proverbiorum de fortunae inconstantia usu petita. Risus et nausea convivarum erudite doctorum opponitur ineptiis hospitis et rusticorum convivarum. Illi tandem *fugiendo* sese eripiunt.

Conviviorum seu serio seu iocose celebratorum usus in litteris graecis tam late patet, ut plurima cum veri similitudine Jo. Geffcken contendat (Neue Jahrb. v. Ilberg 1911, 484): „Irgendwann muss nach Matron, der als Muster nicht genügt, einmal eine griechische Schilderung eines Gastmahls aufgetaucht sein, die Petronius zu seiner herrlichen Cena die unmittelbare Anregung gegeben hat. Zwischen ein solches zu postulierendes Muster und Petronius fallen die Schilderungen des Lucilius (568 ff. 1060 ff.) und des Horaz (sat. II. 8).“

Atque ut mittamus Graecorum hac in re auctoritatem, quam ne copiosius persequamur, impedimur memoriae invidia, ne Lucilii quidem convivia quantum in Petronii imitatione valeant, accurate describi potest. Ea enim, quae Lucilius satis multis locis seu ex certis libris seu sine numeris librorum traditis de conviis copiosis aut sordidis, de helluonibus, de fortunae ludo, de ciborum usu canit, ea, etsi habent plus minus, quod memoriam cenae Trimalchio-

nis revocet, tamen nulla necessitate exempli imitatione expressi cum Petronio coniunguntur. Granii autem convivium, quod non possumus non cum Marxio in libro XX collocare, primum quidem in persona hospitis toto caelo distat a cenis et Nasidieni et Trimalchionis. In moribus autem hospitis et convivarum depingendis summam imitationis Petronianae positam esse nemo negabit. Nam quantum tribues in summo hoc discrimine levioribus illis rebus, quod et apud Lucilium post gustationem mensae detergentur (568), quod et hic (1174—1176, 569) largissima copia ciborum eligendorum convivis proponitur, quod et hic de servo nugatore puniendo (577) verba fiunt? Dignum fortasse, quod attendatur, illud Crassum, virum illustrissimum, in rebus publice gerendis plurima cum laude versatum, eloquentiae peritissimum, hic (573) describere, quae passus sit *in lege Calpurnia* ita, ut animam ageret *in primoribus oribus naris.* Haec haud sine aliquo fructu conferemus cum illo apud Petronium plebeio, qui (44,9) in annonae miseriis deflendis Safinium oratorem commemorat, cuius *vox crescebat tanquam tuba*, qui *sudavit nunquam.* Translata enim videntur esse, quae illic dicuntur in viro auctoritatis et gravitatis pleno, ad locum personarum et rerum sordibus ridiculum.

Petronius autem, si quidem Horatii et Lucilii cenas in unam coniunxit, non aliter rem egit, quam Persius, qui eadem aetate ex eorundem poetarum copiis conflatis atque commixtis suum genus dicendi formavit et finxit. Hoc ipsum autem cum temporum illorum litteris, moribus, sententiis optime convenire nemo negabit. Varronis Menippeae Luciliique saturae incipiunt clarae haberi, ex illis petuntur, sicuti in apocolocyntosi Senecae, quae ad facetias populari sapore exornandas usui sunt, fines orationis multo latius patere volunt hi scriptores, quam illi, qui Augusti temporibus fuerunt, veluti Horatius. Equidem mihi persuasi inter saturam Lucilii et imitationem plebei sermonis in cena Trimalchionis expressam plurimam necessitatem interesse. Nam illis mimicis seminibus, quae et in origine horum colorum patefacienda fuerunt, qui operi Petroniano inesse vellent, equidem non habeo, quomodo feliciter utar (*de serm.* 5), Sed etsi fila, dum captare atque contexere conamur, manus nostras modo petere modo fugere videmus, tamen rem dignam putamus, quae iudicio legentium subiciatur.

Uno loco nomen Lucilii affert scriptor, sed quantum res habeat difficultatis et dubitationis videbimus. Fragmenta memoriae poste-

rorum tradita scimus incipere ab Encolpii verbis, quibus rhetorum vanas et inutiles declamationes carpit. Haec excipit Agamemnon rhetor primum quidem oratione soluta ita, ut parentum inprimis neglegentiae et ambitioni vitio det puerorum vitia. Tunc sic pergitur (4, 5): *Sed ne me putes improbasse schedium Lucilianae humilitatis, quod sentio et ipse carmine effingam*:

artis severae si quis ambit effectus
mentemque magnis applicat, prius mores
frugalitatis lege poliat exacta.
nec curet alto regiam trucem vultu
cliensve cenas impotentium captet,
nec perditis addictus obruat vino
mentis calorem, neve plausor in scenam
sedeat redemptus histrionis ad rictus.

Sed sive armigerae rident Tritonidis arces
seu Lacedaemonio tellus habitata colono
Sirenumve domus, det primos versibus annos
Maeoniumque bibat felici pectore fontem.
mox et Socratico plenus grege mittat habenas
liber et ingentis quatiat Demosthenis arma.
hinc Romana manus circumfluat et modo Graio
exonerata sono mutet suffusa saporem.
interdum subducta foro det pagina cursum
et fortuna sonet celeri distincta meatu,
dent epulas et bella truci memorata canore
grandiaque indomiti Ciceronis verba minentur.
his animum succinge bonis: sic flumine largo
plenus Pierio defundes pectore verba.

Tribus locis plurima similitudine coniunctis simili ratione queritur Petronius personis Encolpi, Agamemnonis, Eumolpi usus de ruina bonarum artium desidia saeculi corruptarum: 1—5, 88, 118. Spectatur harum declamationum prima praecipue ars rhetorica, secunda pictura, tertia poesis. Sed similitudo non continetur querelis nimis universe patentibus atque ex triviali fere loquacitate petitis, sed eadem pertinet ad versus in fine additos. In capite 88 Eumolpus laudata veterum virtute et diligentia, vituperata in praesenti aetate pecuniae aviditate et luxuria conclusionem hanc addit (10) *noli ergo mirari, si pictura defecit, cum omnibus diis hominibusque formosior videatur massa auri, quam quicquid Apelles*

Phidiasque, Graeculi delirantes, fecerunt. Sed video te totum in illa haerere tabula, quae Troiae halosin ostendit. Itaque conabor opus versibus pandere:

Iam decuma maestos inter ancipites metus.

Propius accedit ad similitudinem capitum 1—5 cap. 118. Hic iubetur poëta fugere omnem verborum vilitatem et omni litterarum abundantia impleri. Plurimum interesse inter historici officia et poëtae illius, qui bellum civile sibi proposuit versibus illustrandum, opus. *Non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat quam religiosae orationis sub testibus fides: tanquam si placet hic impetus, etiamsi nondum recepit ultimam manum:*

Orbem iam totum victor Romanus habebat.

Facile apparet *ultimam manum nondum* appositam idem sibi velle, quod in eo exemplo, a quo initium cepimus, *schedium Lucilianae humilitatis* idemque, quod in exemplo medio *conabor*. Excusatur ratione cantorum poëtarumque opus proferendum, quasi ex improviso canant, animum habeant parum paratum, voce utantur minus, quam soleat, expedita, et quae sunt similia. Scimus enim apud posteros *αὐτοκάβδαλον* = *improvisum*, *autoschediasma* ex nescio quorum huius poëtae versuum memoria fuisse Lucilii nomine significatum (Fest. p. 334, 13; Apuleius, de deo Socr. principio *in isto, ut ait Lucilius, schedio et incondito experimini, an idem sim repentinus qui praeparatus*, Ausonii editor vetustus de herediolo p. 34 Sch. = p. 16 P. *his versibus lusit Luciliano stilo*, Marx ad v. 1279). Sed res est multo intricatior, quam maior pars criticorum voluit. Spectant enim haec verba, si recte video, primum quidem omnino non ad ea, quae sequuntur, sed ad partem quandam amissam operis. Agamemnon enim, declamationem subito ac praeter exspectationem interrumpens atque abscindens, ut fere fit apud Petronium in versibus adiungendis, his verbis transit ad numerosam orationem: *Sed ne me putes improbasse schedium Lucilianae humilitatis, quod sentio, et ipse carmine effingam.* Sed quid rogo fuit causae, quare Encolpius suspicaretur Agamemnona improbasse Lucilii illam rationem ex improviso atque humili quodam genere dicendi versuum componendorum? Quare *improbasse* perfecti usu dicitur, quid sibi vult *et ipse*, cum nil sit, quare rhetor

suam rationem auctoritate Lucilii confirmare debeat? Non est, quomodo non[64]) hunc fere in modum res initio operis Petroniani gestas esse intellegamus[65]). Agamemnon rhetor in schola vel auditorio suasoriam habuerat. Hanc exceperat nescio qui artis collega declamatione extemporali eodem loco. Huius certe opinionis est Encolpius, qui finito Agamemnonis munere una cum oratore secesserat ita, ut de artis rhetoricae pretio, fatis, ruina cum illo disputaret. Encolpius eodem modo, quo postea rhetor, oratione numerosa non minus quam soluta usus erat. Hoc carmen, quod facile animo fingemus fuisse ante ea verba, quae in initio totius operis leguntur, *num alio genere furiarum declamatores inquietantur* e. q. s. aut, si hoc mavis, in fine declamationis ab excerptore omissum, hoc carmen tangit Agamemnon: Ne putes me schedium Lucilianae humilitatis modo abs te expressum improbasse, et ipse, sicuti tu, tuum secutus exemplum, meam de hac re sententiam carmine effingam. Encolpius igitur sic fere erat locutus: Quae animo, dum tu declamabas, obversabantur de artis suasoriarum et declamationum vi, ea, si licebit, versibus proferam, etsi sunt haec mea parum exculta atque Lucilii, ut aiunt, potius arte improvisa quam poetarum divinorum exemplo expressa. Agamemnona postea eodem genere versuum uti, quo ille erat usus, etsi disertis verbis non significatur, tamen haud sine aliqua veri similitudine suspicabimur.

Nunc via tanquam praemunita progrediemur ita, ut quaeramus, quid consilii illis scazontibus et hexametris inesse recte dicamus. Atque a Lucilii imitatione mihi quidem alienissima esse videntur.

---

64) Mirum est, interpretes quomodo difficultatem hanc tollant verbis parum accurate redditis. Gurlitt: *Damit du aber nicht meinst, ich hätte eine Abneigung* (improbasse) *gegen die Stegreifdichtung von der Kunstlosigkeit des Lucilius, so will ich selbst* (et ipse) *meine Meinung in dichterischer Form vortragen.* Similiter Ernout: *Mais ne va pas croire que je condamne l'impromptu sans prétention à la manière d'un Lucilius, un petit poème va me servir à exprimer mon sentiment.* Verum vidit Collignon solus, nisi fallor (Étude sur Pétrone 228): *Ces mots „et ipse" semblent indiquer que, dans un passage perdu, Encolpe avait ou cité ou imité Lucilius,* nisi quod haec ultima verba parum fidei habent.

65) Cf. 3, 1 *Non est passus Agamemnon me diutius declamare in porticu, quam ipse in schola sudaverat, sed „adulescens" inquit* e. q. s. 6, 1 *Et dum in hoc dictorum aestu in hortis incedo, ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cuius, qui Agamemnonis suasoriam exceperat. dum ergo iuvenes sententias rident ordinemque totius dictionis infamant, opportune subduxi me* e. q. s.

Nullius certe ponderis sunt, quae Collignon ut similia attulit, cum singula quaedam verba colligeret tritissima (l. l. 233 sq.). Atque hic quidem vix satis mirari possum eundem scriptorem, cum similia alienissima saepe et levissima undique atque ex omnibus scriptoribus et poëtis afferret, non vidisse, quem hoc loco tangat Petronius. Eum solum fere inter exempla et auctores Petronii neglexit[66]), dico Persium.

Reitzenstein (Hermes LIX, 4) recte dicit vix forte factum esse illud, „dass bei Petr. 4. 5 ähnliche Lehren wie bei Persius vorgetragen und dann in zwei Gedichten, welche dieselben beiden Metren verbinden, weiter ausgeführt werden und dass dabei Lucilius als Vorbild erwähnt wird. Eine irgendwie ähnliche Verbindung zweier im Metrum verschiedener Gedichte halte ich gerade in dem Buch des Lucilius, seiner satura, nicht für unmöglich und glaube, dass Persius, der denselben Buchtitel gewählt hat, ihm hierin nachahmt“, nisi quod Lucilium malim ex hac disputatione removere. Ad Lucilii auctoritatem atque exemplum ne illi quidem, qui perierunt, Encolpii versus revocantur. Sententiae ipsae ex triviali saeculi primi usu petitae sunt. Nam cui non dicti sunt hi loci communes? Seneca pater et filius, Tacitus, Quintilianus, Plinius, Persius, Iuvenalis, Martialis in eis illustrandis sunt plurimi! Hos aut Petronium aut Persium e Lucilio hausisse, qui possumus putare, a cuius aetate sunt alienissimi? Neque hoc dicit ille, qui in vita Persii scripsit *Lecto Lucili libro decimo vehementer saturas componere instituit, cuius libri principium imitatus est, sibi primo, mox omnibus detrectaturus cum tanta recentium poëtarum et oratorum insectatione, ut* e. q. s.

Apparet enim Lucilium in poëtis et oratoribus illius aetatis insectandis non potuisse aut illam apud Petronium et Persium perspicuam laudationem temporis acti habere aut, ut erat hominum et rerum natura, umbraculorum scholaeque vanitatem et desidiam curavisse, cum omnium animi rerum publice gerendarum studio arderent. Apud Lucilium invenit Persius praeter illam insectationem poëtarum et oratorum, quae fieri non poterat quin

66) *Mais bien vagues seraient les indices qui permettraient d'admettre que Pétrone se soit souvenu de Perse. Entre le stoïcien rigide et le sceptique épicurien, il devait y avoir peu de sympathie. A part quelques rapprochements d'expressions peu significatifs . . . je ne découvre aucune parenté entre le roman de Pétrone et les satires de Perse* (l. l. 273). Sunt sane ea, quae affert, nullius fere pretii: V, 19 et 2, 6; V, 10 et 2, 7; I, 79 et 4. 1; III, 86 et 6, 2.

apud ipsum in singulis rebus et sententiis funditus mutaretur, quomodo orationem propriarum vocum plebeique saporis abundantia exornaret, apud illum invenit illam *humilitatem* eandem et iocosam et seriam, quam saturarum scriptor nescio quomodo pedester poëtis et oratoribus opponebat. Haec humilitas quanta fuerit apud Encolpium, cuius carmen recte nobis videmur suspicari tangi verbis Agamemnonis, nescimus. Illam certe in Agamemnonis versibus frustra quaeres. Si quidem omnino — nam licet aliquantum dubitationis huic sententiae interponere — plenam vim horum verborum: *schedium Lucilianae humilitatis* et ad sua verba numeris vincta trahi vult, nil aliud spectat quam modestam quandam captationem veniae, qua suos versus a perfecta specie elegantiae alienos esse dicit. Persius autem hanc humilitatem [67]) Lucilianam prologi verbis significat, quibus Parnassum, Pirenen, hederam vatibus remittit ipse semipaganus.

Nam Persii, non Lucilii poësis mihi quidem tangi videtur hoc Agamemnonis schedio, vix minus quam Lucani poëtae Persii studiosi bellum civile alio illo loco. Sed aguntur non tam singulae voces tales, quales Collignon captare solet, quam alia.

1. Persii, non Lucilii, sunt hi hipponactei hexametris praemissi.

2. Persius ipse suas saturas ad auctoritatem Lucilii revocaverat (I, 113 sqq.), ipse prologo humilitatem Lucilianam simulaverat.

3. Persii sunt sententiae latissime patentes de artium ruina, parentum ambitione, clientium misella condicione. Sed cum talia omnium oribus recoquerentur, non tam sententiae ipsae spectandae sunt, quam earundem fere rerum in eodem numerorum et dicendi genere tractatio.

4. Nam dicendi genus habet, quo ad artificia Persii peculiaria accedat. Nam etsi sunt artificiosa quaedam, quae ipsa Persii auctoritate vix probari possunt, veluti neutrum genus in plurali (*mentemque magnis applicat, nec perditis addictus)*, aut nominum propriorum ambages (*armigerae Tritonidis arces, Lacedaemonio tellus habitata colono, Sirenum domus* = Athenae, Tarentum, Neapolis), imagines et metaphorae quamvis variae aut diversae consilio et

67) *Humilitatem* a scholiasta ad prol. v. 1. significari putat Reitzenstein (l. l. 4, 3). Agitur de copia verborum: *Caballino autem dicit, non equino, eo quod satirae humiliora verba conveniant.* Hanc certe humilitatem in Agamemnonis versibus frustra quaeremus.

arte inter se commixtae et conflatae mihi quidem ad Persium spectare videntur:

4 *Maeoniumque bibat felici pectore fontem.*
5 *mox et Socratico plenus grege mittat habenas*
6 *liber et ingentis quatiat Demosthenis arma.*
7 *hinc Romana manus circumfluat et modo Graio*
8 *exonerata sono mutet suffusa saporem.*

Hi quinque versus, si recte calculum duxi, octo eisque natura et cogitatione diversis metaphoris continentur. Eodem modo dicitur

11 *dent epulas et bella truci memorata canore*
13 *sic flumine largo*
14 *plenus Pierio defundes pectore verba.*

Est et in singulis, quod conferre possis:

Pers. prol. 15 *cantare credas Pegaseium nectar,*
1 *nec fonte labra prolui caballino.*

Persius aurium oblectamenta appellat escas (Schönbach, de Persii in saturis sermone et arte, Diss. Leipzig 1910, 24):

I, 22 *tun, vetule, auriculis alienis colligis escas,*

Petronius rhetores adulescentulos vult satiari epulis rerum gestarum versibus heroicis narratarum:

dent epulas et bella truci memorata canore [68]).

Cf. denique Pers. V 3 *fabula seu maesto ponatur hianda tragoedo*
Petr. hipponact. 8 *histrionis ad rictus.*

Haec similia haud mediocriter augeri posse facile confido. Sed plus valet illud Persianae artis peculiare, quod his fere exemplis illustratur. V 56 *irriguo somno*, V 57 *hunc alea decoquit*, IV 37 *tunc cum maxillis balanatum gausape pectas*, III 115 *alges, cum excussit membris timor albus aristas*, I 33 *rancidulum quiddam balba de nare locutus*, I 58 *O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit.* Hoc sapore mihi illi Agamemnonis versus nescio quomodo suffusi esse videntur.

---

68) Iterum duae imagines permiscentur. Recte Ermout: *Qu'elle (ta plume s'arrachant au forum) trouve un aliment dans les guerres chantées sur un ton héroique*, nisi quod malo intellegere epulas dari *(tibi)* rhetoribus tironibus, qui scribendo exsequuntur fortunae varietatem et *arma virumque*, quam paginae ipsi, cuius cogitatio ex memoria poetae recessit iam eo, qui antecessit, versu:

et fortuna sonet celeri distincta meatu.

Cf. 2 init. *Qui inter haec nutriuntur*, 2, 8 *omnia quasi eodem cibo pasta.*

5. Persius praeter Lucilium Horatium patroni loco habet. Quo iure hoc fecerit, nemo ignorat, si quidem *tertiam fere partem Persii versuum redolere studia Horatiana* ille, qui diligentissime in Horatii apud Persium auctoritate versatus est, Th. Werther *(De Persio Horatii imitatore*, Progr. Halle 1883), probavit. Nunc autem accidit, ut eodem modo, quo apud Persium, in Agamemnonis versibus loci Horatiani arte et consilio ad ordinem verborum et sententiarum exornandum seu potius obscurandum usui sunt. Collignon (90) habet unicum exemplum

II, 6, 13 *ille terrarum mihi praeter omnes*
angulus ridet,

sed multo magis iuvat perspicere, quomodo Agamemnon ex eodem carmine colligat

5 *Tibur Argeo positum colono*
et 11/12 *regnata petam Laconi*
rura Phalantho
(cf. III 5, 56 *Lacedaemonium Tarentum)*

omniaque collecta sic coniungat:

sed sive armigerae rident Tritonidis arces
seu Lacedaemonio tellus habitata colono.

Habet Horatius III, 21, 9

non ille, quamquam Socraticis madet
sermonibus, te neglegit horridus:
narratur et prisci Catonis
saepe mero caluisse virtus.

Ep. I. 2, 67 *Nunc adbibe puro*
pectore vera, puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens servabit odorem
testa diu.

Agamemnon docta variatione et commixtione haec effecit:

nec perditis addictus obruat vino
mentis calorem . . . . .
Maeoniumque bibat felici pectore fontem.
mox et Socratico plenus grege mittat habenas.
hinc Romana manus circumfluat et modo Graio
exonerata sono mutet suffusa saporem.

Apparet, quam doctum et artificiosum tormentum hi versus subierint. Post Homerum, Socraticas chartas, Demosthenem ora-

torum et poëtarum manus (Quint. X, 1, 76) Romana circumfluentibus undique eloquentiae copiis (Quint. XII, 10, 78) tibi adsit et suffusa in copiam tuam dicendi variet, exornet, mutet tuum iudicium exemplis non iam graece, sed latine conscriptis[69]).

Ut rem paucis complectamur, Agamemnon declamationem de causis corrupti iudicii iacentisque rhetoricae artis institutam ita absolvit, ut dicat et se, ut Encolpium antea, versibus comprehendere velle, quid de rhetoribus tironibus recte nutriendis sentiat, ne videatur improbasse illud schedium Lucilianae humilitatis. Prologo, qui numerorum Hipponacteorum est, praemisso quattuordecim hexametris locos quosdam communes ex hac provincia petitos absolvit. In imaginibus docta obscuritate conserendis atque conflandis, in Horatii versuum contorto usu, in singulis quibusdam verbis proxime ad Persium accedit. Nunc quaerimus, num miro quodam casu fieri potuerit, ut eodem tempore, eisdem numeris, de eisdem rebus, in eodem fere genere litterarum, eiusdem orationis usu a Petronio operi insererentur quaedam sine ulla Persii memoria. Nam praeter hunc neminem invenias, qui potuerit animo scriptoris obversari. Mihi quidem hac imitatione Persium neque laudare neque vituperare velle videtur Petronius. Opere complectitur tanquam speculo totam varietatem rerum, litterarum, sententiarum, hominum illius aetatis. Si recte rem tractavimus, est hic locus alicuius usus in natura litterarum illius aetatis perspicienda, est nullius pretii in Lucilii apud Petronium auctoritate recte aestimanda. Haec autem quin fuerit aliis locis plurima, equidem minime dubito. Atque hic quidem non tam illud specto, quod cenam ipsam Horatii Luciliique coloribus in modum Persii commixtis illustravisse videtur, quam illud, quod necessitate quadam saeculi et iudicii illa aetate probati Petronius, longe alienus ille ab Horatii arte, qui angustioribus finibus usus circumscribit orationem, quam elegantiae et diligentiae potius quam copiae et va-

69) Et haec similia Horatiana per tormentum doctrinae et artis coniuncta et variata augeri posse puto. In versibus Agamemnonis nullo loco a fide memoriae recessimus. Aliquid audaciae tribuendum est huic generi dicendi, quod, si recte disputavimus, Persium sapit. Nihil offensionis habent verba *Romana manus circumfluat et suffusa mutet saporem.* Facilius offendes in eo, quod ea ipsa, si recte interpretati sumus, dicitur *Graio sono exonerata,* i. e. soluta, libera. Sed multo minus placet, quod Scheidweiler (Philolog. Wochenschrift XLII (1922) 1052) proposuit scribendum esse:

et modo Graio
vox onerata sono mutet suffusa saporem.

rietatis laudibus exornandam esse censet, ad Lucilii auctoritatem revocatur in omnibus fontibus dictionis exhauriendis, in hominum varietate ordinum, humanitatis, originis, locorum discriminibus descripta plena imitatione comprehendenda.

Sed Petronius inter eos numerandus est, quorum gloria clarius clarebit, ubicumque perspexeris, quantum usui artis grammaticae et rhetoricae, quantum auctoritati exemplorum debeat. Nam fingas velim animo hanc cenam sordidis orationibus madentem sibi proposuisse describendam aut Lucilium aut Horatium aut Apulei versicolorem eloquentiam, aut Consentium denique quendam deipnosophistarum sordidorum usum esse personis in vitiis sermonis vivida imagine illustrandis — vix negabis, tale si exstitisset certamen artis, futurum fuisse, ut palmam teneret hac in provincia Petronius omnesque rivales facile superaret aut felici ingenii ubertate aut elegantiae iudicio tacite interposito aut simulata illa temeritate et facilitate artis et consilii plena, quam Tacitus, hominum morum ille peritissimus iudex, et dictis factisque eius subfuisse memoriae tradit (ann. XVI, 18).

Index rerum [70])

---

70) Quae iam argumento opusculo praemisso significata sunt, ea hoc in indice non repetivimus.

Index locorum

Index nominum

Index vocum